

ARTICULUS LIII

DE MODO ESSENDI PERSONAS IN DEO

Post tractata hucusque de his quae in Deo pertinent ad communem substantiam, deinceps restat tractandum de illis quae pertinent ad personarum distinctionem. Et hoc primo de eis quae pertinent ad propria; secundo de eis quae pertinent ad appropriata. Et circa propria primo de eis quae conveniunt singulis personis secundum se; secundo de eis quae conveniunt ipsis ad invicem comparatis. Et de illis quae conveniunt singulis secundum se, primo in generali, secundo vero in speciali. Et in generali, primo de ipsis personis, secundo de proprietatibus personarum quae communiter notiones dicuntur.

Circa divinas autem personas inquirenda sunt duo: primum de modo essendi personas in Deo, secundum de modo emanandi unam ab altera.

Circa primum vero quaeruntur decem, quorum primum est utrum sit ponere personam esse in Deo; secundum vero utrum persona habeat esse in Deo proprie vel transsumptive; tertium utrum univoce et eadem ratione habeat esse in Deo et in creaturis an aequivoce et secundum rationes diversas; quartum utrum persona sit seu habeat esse in Deo secundum substantiam an secundum relationem; quintum utrum persona in Deo significet rem, substantiae scilicet aut relationis, an intentionem tantum; sextum utrum aliqua persona penitus absoluta seu suppositum absolutum habeat esse in divinis; septimum utrum persona in Deo significet aliquid commune; octavum utrum sint plures personae in Deo; nonum utrum in Deo sint tres personae et non plures nec pauciores; decimum utrum una earum habeat esse in alia mutuo et eodem modo.

QUAESTIO 1

UTRUM SIT PONERE PERSONAM ESSE IN DEO

Circa primum arguitur quod non sit ponendum personam esse in Deo. Primo sic. BOETHIUS dicit libro *De duabus naturis et una persona Christi* quod *«persona est rationalis naturae individua substantia»*. In Deo autem non est natura rationalis, sed potius intellectualis, neque substantia individua, quia non est individuum nisi ubi est

universale individuabile, quod non est in Deo, ut habitum est supra. Ergo etc.

Secundo sic. AUGUSTINUS V^o De Trinitate: «*Dictum est 'tres personae', non ut illud diceretur sed ne omnino taceretur*». Sed si persona esset in Deo, dictum esset 'tres personae', non solum ut non taceretur, sed ut existens in Deo diceretur et exprimeretur sicut est. Ergo etc.

Contra. RICARDUS dicit V^o De Trinitate cap.^o 9^o: «*Existencia divina si vel unum aliquid invenitur habere incommunicabile, ex eo solo deprehenditur atque convincitur esse personam*». Sed aliquid invenitur in «*divina existencia incommunicabile*», quia aut nihil est communicabile in Deo, aut si aliquid communicatur in eo, proprietas communicantis in quantum communicat non potest communicari ei cui communicatur, quemadmodum proprietas generationis a proprietate Patris, qua Filio communicat suam essentiam, nulli potest communicari ab ipso, ut infra declarabitur. Ergo etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod sicut secundum supra determinata in attributis essentialibus Deo attribuendum est quidquid simpliciter dignius est et melius esse ipsum quam non ipsum, similiter et in personalibus sive personarum proprietatibus ut, secundum quod dicit AMBROSIIUS I^o libro De Trinitate, «*quidquid religiosius sentiri potest, quidquid praestantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire*», et hoc tam in essentialibus quam in personalibus indifferenter. Nunc autem ita est quod 'persona' nominat aliquid quod est dignitatis simpliciter in creaturis et in Creatore. Nominat enim ex suo significato rationem incommunicabilis, ut patet ex praedicta auctoritate RICARDI, quae provenit ex perfectione eius qui habet in se id quod alteri non potest communicari, secundum quod dicitur 'persona', secundum quod infra videbitur. Nominat etiam illam circa naturam rationalem seu intellectualem, quorum utrumque est dignitatis et nobilitatis. Idcirco simpliciter absolute ponendum est personam esse in Deo, et tanto verius et perfectius quanto verius et perfectius ratio incommunicabilis et intellectualis habent esse in Deo, secundum quod patebit ex determinandis.

Ad aliqualem tamen horum declarationem sciendum quod in istis octo quae sunt individuum, hoc aliquid, singulare, res naturae, subsistentia, substantia, suppositum, persona, quasi idem repraesentatur et significatur circa naturam et essentiam naturalis rei, largissime accepta

natura, de qua dicit BOETHIUS *De duabus naturis*: «*Si de omnibus rebus natura dici placet, talis definitio dabitur quae res omnes quae sunt possit includere. Est igitur huiusmodi natura earum rerum quae cum sint, quoquo modo intellectu capi possunt*». In hac igitur definitione accidentia et substantiae definiuntur; sed prima duo, scilicet ‘individuum’, ‘hoc aliquid’ solummodo inveniuntur in essentia creaturae et tam in substantiis quam in accidentibus, et non in essentia increata sive in Deo. Individuum enim ex opposito distinguitur contra dividuum. Non est autem dividuum nisi re universale, neque ratio sive intentio dividi nisi circa universale secundum rem. Quare neque individuum est nisi re particulare sive singulare sub universali individuatur; neque ratio sive intentio individui nisi circa particulare sive singulare secundum rem individuatum sub eo quod est re universale.

Quare cum in Deo secundum supra determinata non est invenire rationem universalis aut particularis realis, similiter neque rationem individui nisi extendendo nomen individui ad rationem singularis iuxta illud quod dicitur in principio *Decretalium*: «*Haec sancta Trinitas secundum communem essentiam individua*»; quemadmodum cum continuo sequitur: «*et secundum personales proprietates discreta*», ibi extenditur nomen discretionis ad nomen distinctionis. Discretio enim non est proprie in divinis personis, sed distinctio. Est autem invenire rationem individui in omni creatura tam ex parte naturae sive essentiae quam ex parte suppositi quod est res naturae; sed in natura, quia ipsa existit in supposito, sive ipsa natura fuerit substantialis sive accidentalis; non enim dicitur individua natura sive essentia, ut humanitas vel albedo, nisi quia est individui suppositi, quia secundum superius determinata humanitas non est haec nisi quia est huius, similiter neque albedo, ut secundum hoc res naturae proprie dicatur individuum esse, natura vero essentia rei, sive secundum se sive ut individuata in supposito.

‘Hoc aliquid’ autem cum ‘individuo’ idem nominat secundum rem, differens autem sola ratione. Ambo enim significant rationem partis acceptae sub aliquo diviso expresse per negationem; sed ‘individuum’ exprimit negationem illam in comparatione ad ipsum divisum, negando circa partem divisibilitatem, a qua imponitur hoc nomen ‘individuum’; ‘hoc aliquid’ vero exprimit negationem eandem in comparatione ad ipsum divisum, et addit cum hoc rationem negationis in comparatione ad partem condivisam. Cum enim dicitur ‘hoc’, intelligitur res sive natura esse quid indivisum sive individuum in se propter demonstrationem rei quae oculis conspici potest; cum vero additur li ‘aliquid’, exprimitur quod sit a condiviso aliud quid et in natura et essentia individua et in supposito. Quod nullo modo convenit in divinis uni suppo-

sito in comparatione ad aliud, in quantum li ‘aliud’ dicit differentiam in natura et essentia. Etenim si unum suppositum in divinis sit aliud ab alio in supposito, non tamen in essentia et natura, ut infra patebit. Quare cum ‘aliud’ in neutro per se essentialem differentiam nominat, ideo cum absolute ponitur, sicut cum dicitur ‘hoc aliquid’, nullo modo recipitur in divinis, ut dicatur absolute unum divinorum suppositorum esse aliud quid ab altero, sed solum cum determinatione suppositi, ut dicatur unum eorum esse aliud suppositum ab altero. Unde si proprie velimus loqui in divinis sicut in creaturis, debemus in hoc nomine ‘alius’ distinguere rationem generis masculini et neutri, ut sicut in creaturis proprie dicimus individuum suppositum esse hoc aliquid, ‘hoc’ id est in se individuum sive individuatum, sed ab alio supposito aliud quid, hoc est in essentia communi quid, sed in essentia individuali aliud quid ab essentia condivisi, sic in Deo proprie dicitur suppositum hic aliquis, ‘hic’ id est in supposito singulari existens, sed ab alio supposito alius quis et distinctus ab eo.

Cetera vero sex inveniuntur tam in re increata quam in re creata. Sed illud quod est singulare invenitur communiter in accidentibus et substantiis; alia vero quinque in substantiis tantum. Singularis autem ratio est quod sit unum aliquid solitarium. Sed intelligendum quod singulare includendo solitarium potest intelligi absolute vel cum determinatione. Primo modo non recipitur in divinis, secundum quod probat MAGISTER 23^a distinctione Iⁱ S^en^teⁿtⁱa^rum in capite ‘tam sufficienter’, quia, ut dicit in eodem, «*singularitas vel solitudo personarum pluralitatem ostendit exclusam*». Unde et secundum hunc modum falsitatem ponit in humanis dicendo “Sortes est singularis”, quia excluderet consortium aliorum in humana natura. Sed aliter in divinis et aliter in humanis, quia in divinis non potest esse solitudo neque actu neque potentia; in humanis potest esse solitudo secundum actum. Posset enim humanitas existere in unico supposito tantum. Secundo modo bene recipitur utrobique tam circa essentiam quam circa suppositum. Deitas enim singularitas quaedam est et singularis essentia. Unde GREGORIUS Super Ezechielem parte 2^a homilia 5^a: «*Una eadem vi naturae singularis sibi semper indivisibilis dissimilia disponit*». Et Pater est persona quaedam singularis. Nec excludit haec singularitas consortium plurium personarum, sicut nec cum dicitur quod Petrus est persona singularis, excluditur consortium aliorum hominum, sed solum excludit pluralitatem seu plurificationem eius in quo dicitur esse huiusmodi singularitas, sive fuerit essentia sive suppositum. Sed aliter convenit essentiae et supposito in Deo et in creaturis, quia in Deo convenit essentiae ex se, non ex hoc quod habet esse in persona. Deitas enim est singularitas

quaedam sive quaedam singularis essentia ex se, ut habitum est supra. Non sic autem humanitas, quia ex se non est hoc, sed solummodo quia est huius, ut similiter supra habitum est. Aliter similiter habet esse in supposito singularitas in Deo et in creaturis, ut declarabitur infra.

Res vero naturae differt a ratione singularis, quia, ut dictum est, singulare convenit tam essentiae quam supposito, res vero naturae tantum supposito convenit. Quare cum ratio suppositi non invenitur in accidentibus, sed in substantiis tantum, res naturae sic non invenitur in accidentibus <, sed> tantum in substantiis; est enim ipsa essentia natura sive fuerit substantiae sive accidentis, solum vero suppositum substantiae est res naturae, quia essentia sive substantialis sive accidentaliter rationem suae existentiae non habet nisi in supposito substantiae.

Ideo subsistentia secundum communem usum Graecorum et antiquum usum Latinorum convenit in creaturis communiter universali, generi scilicet et speciei et individuis, substantia vero individuis tantum. Dicitur enim subsistere sive subsistentia quasi 'se ipsum tenendo sistere', et convenit omni ei quod est in praedicamento substantiae in quantum substantia est.

Dicitur vero substantia sive 'substare' quasi sub alio, hoc est sub accidentibus et universalibus stare, quod solum proprie convenit individuae substantiae. Propter quod in Praedicamentis *«maxime et principaliter et prima substantia dicitur, quae nec est in alio, nec dicitur de alio»*, sed alia sunt in ipsa et dicuntur de ipsa. Unde et dicit BOETHIUS De duabus naturis: *«In solis individuis particularibus substantiae subsistunt. Intellectus enim universalium ex particularibus sumptus est. Quocirca cum ipsae essentiae in universalibus sint, in particularibus recipiunt substantiam»*. Substat autem eo quod accidentibus subiectum praestat ut esse valeant sub illis enim est dum substat. *«Itaque genera et species subsistunt tantum neque enim accidentia generibus speciebusve contingunt. Individua vero non modo subsistunt, verumetiam substant»*. *«Ideo autem»*, ut dicit ibidem, *«Graeci hypostases et individuas substantias vocant, quoniam ceteris substant et quibusdam quasi accidentibus subiectae sunt. Idcirco nos quoque eas substantias nuncupamus quasi suppositas quas illi hypostases»*.

Suppositum vero apud nos penitus idem est quod subsistentia, et convenit tam universali quam singulari in praedicamento substantiae. Supponunt enim aut significatum aut appellatum. Sed solum refert in hoc quod in singulari idem est significatum et appellatum, non autem in universalibus.

Et est sciendum quod nominis 'substantiae' usus est alius apud nos modo et apud Graecos, quia nos modo 'substantia' non utimur sicut Graeci, secundum quod dicit AUGUSTINUS VII^o De Trinitate:

«*aliter Graeci accipiunt substantiam quam Latini*», quia «*non aliter in sermone nostro, id est Latino, essentia quam substantia solet intelligi*». 'Persona' autem re idem significat quod 'hypostasis' aut 'substantia' apud Graecos, sed solum differt apud nos et illos quoad usus generalitatem et nominis proprietatem. Quoad usus generalitatem, quia cum nos nomine 'hypostasis' sive 'substantiae' indifferenter utamur in intellectualibus et non-intellectualibus et in inanimatis, illi autem utuntur 'substantia' <in rationalibus et irrationalibus, nomine 'hypostasis' autem> in rationalibus solum, dicente BOETHIO: «*Quare de irrationalibus animalibus Graecus 'hypostasis' non dicat, haec est ratio: quoniam hoc melioribus applicatum est, ut aliquid quod est excellentius*». Et similiter est eadem observatio apud Graecos de hoc nomine 'prosopo', quoniam, ut dicit BOETHIUS, «*cumque 'prosopa' nominant, easdem substantias possumus nos quoque nominare personas*». Unde et nos 'persona' solum utimur in intellectualibus sive rationalibus. Licet enim eandem intentionem significat in creaturis quam hoc nomen 'individuum', ut infra patebit, tamen illam significat circa determinatam naturam, scilicet rationalem, ut dicit BOETHIUS De duabus naturis, cap.^o 3^o in principio. Quemadmodum enim idem significant 'curvum' et 'simum', sed 'curvum' significat illud sub indifferentia ad quamlibet materiam, 'simum' vero significat idem ut determinatum ad nasum et proprium ei, sic 'individuum' significat indeterminatum quid ad naturam rationalem et irrationalem; 'persona' vero determinatum et proprium quid naturae rationali. Et secundum hoc 'persona' suo nomine rationem dignitatis importat quam non important illa quoad nominis proprietatem.

Quare cum 'substantia', 'suppositum', 'subsistentia' et huiusmodi, cum aliqua improprietate dicuntur in divinis quantum est ex ratione nominis, quia in divinis quod subsistit, non subsistit alicui neque superiori universali neque accidentibus sicut in creaturis, unde accepta est nominis impositio, sed potius persona in ipsa essentia subsistit, ut infra patebit, persona autem sine omni nominis improprietate in divinis recipitur, dicente RICARDO ubi supra: «*Quod personae ab aliis subsistentiae, ab aliis et substantiae dicuntur, ad idem respicere videtur. Certum enim est quod respectu eorum quae eis solent inesse dicuntur substantiae vel subsistentiae, quamvis minus proprie substantiae vel subsistentiae dici possunt*». Et subdit post pauca: «*Apud Latinos puto nullum nomen inveniri posse quod possit melius aptari pluralitati divinae quam nomen personae*». Quod probat ex communi usu Christianorum omnium et Scripturae Sacrae auctoritate subdens: «*Et quidem fidei animo nihil magis authenticum esse debet quam quod ore omnium sonat et catholica auctoritas confirmat*».

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «rationale et individuum secundum BOETHIUM ponuntur in definitione ‘personae’ quae non conveniunt Deo», dicendum quod BOETHIUS large sumit ‘rationale’ ut comprehendat pure intellectuale, et similiter ‘individuum’ ut comprehendat etiam incommunicabile, et illo modo extensionis ambo Deo conveniunt. Unde quia in tali extensione improprie ambo Deo conveniunt, et similiter nomen ‘substantiae’, ut dictum est, quod et ponit BOETHIUS in illa definitione, ideo RICARDUS IV^o De Trinitate cap.^o 21^o corrigit definitionem BOETHII et quasi appropriat divinis. Ubi enim dicit BOETHIUS quod *«persona est substantia individua rationalis naturae»*, RICARDUS dicit quod est *«incommunicabilis existentia intellectualis naturae»*. Quomodo autem huius definitio intelligenda et exponenda sit, inferius videbitur.

Ad secundum quod «dicuntur tres personae, non ut illud diceretur, sed ne omnino taceretur», dicendum quod hoc non dicit AUGUSTINUS propter aliquam falsitatem, sed propter usus nominis novitatem circa divina. Id enim quod exprimitur nomine personae in veritate, ab aeterno erat in Deo secundum veritatem, aut circa ipsum concipi poterat; sed usus non habuit ut illud exprimeretur hoc nomine, nec expressisset nisi insidiae haereticorum ad hoc cogissent, ut dicit AUGUSTINUS in VII^o De Trinitate. Unde quod dicit AUGUSTINUS *«non illud diceretur»* sic habet intelligi cum quaesitum erat ab haereticis *«qui vel quid tres?»*, responsum est *«tres personae, non ut diceretur»*, id est responderetur illud quod haeretici interrogabant cum quaerebant *«qui tres?»*, sed *«ne omnino taceretur»*. Non enim hac responsione satisfacit illorum interrogationi iuxta eorum intentionem, ut infra videbitur, sed interrogantibus solum qui ulterius non habebant quod quaerent, per quod liberabantur fideles ab eorum impugnatione absque eorum confusione quam incurrissent tacendo. Unde dicit RICARDUS IV^o De Trinitate cap.^o 5^o: *«Qui hoc nomen ‘persona’ ad divina primo transtulerunt, hoc ipsum ex necessitate fecerunt. Sed quod ab eis ex necessitate factum fuit, novit Spiritus Sanctus, qui eorum cordibus praesidebat, qua ratione et veritate id fieri voluit, et nos iam cum omni diligentia quaerimus, non sub qua acceptatione primo ab hominibus sit impositum, nec ex qua necessitate sit postea ad divina transsumptum, sed in qua veritate per spiritum veritatis sit translatoribus inspiratum et a Latina Ecclesia universaliter frequentatum»*.

QUAESTIO 2

UTRUM PERSONA HABEAT ESSE IN DEO PROPRIE AN TRANSSUMPTIVE

Circa secundum arguitur quod 'persona' non proprie sed transsumptive dicitur in Deo. Primo sic. Quod primo et principaliter significat indignum quid et vile ad quod significandum imponitur, non potest proprie dici de Deo, quia, ut patet ex supra determinatis, nihil proprie dicitur de ipso nisi id quod est simpliciter nobilius et dignius circa unumquodque. Persona est huiusmodi, quia secundum BOETHIUM De duabus naturis cap.^o 3^o: «*Nomen 'personae' videtur aliunde tractum, ex his scilicet personis quae in comædiis et tragædiis eos quorum intererat homines repraesentabant*». Sed talis repraesentatio vile quid erat, quia «*per histriones et viles homines facta*», ut dicit ibidem, et in scurrili loco. Ergo etc.

Item patet per BOETHIUM, qui expresse dicit ibidem: «*Nos propter inopiam significantium vocum translatam retinuimus nuncupationem quam illi, scilicet Graeci, 'hypostasim' dicunt, 'personam' vocantes*». Sed nominatio translativae dicta non est propria in divinis, quia ex opposito distinguuntur secundum supra determinata. Ergo etc.

In oppositum est illud quod supra dictum est RICARDI: «*nullum nomen inveniri posse quod possit melius aptari pluralitati divinae*»; quod non esset nisi proprie esset ipsum ponere in Deo.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod cum quaedam dicuntur de Deo per proprietatem sive proprie, quaedam vero per similitudinem sive transsumptionem, quae sint talia vel talia, aspiciendum est ad nominis significatum, non ad vocis usum. Quaecumque enim important aliquid in suo significato quod est dignitatis simpliciter, dicuntur de Deo proprie, cetera vero omnia transsumptive, secundum quod patet ex supra determinatis. Nunc autem ita est in proposito de significato 'personae', quod quemadmodum nomen istud quod est 'individuum' significat circa quodcumque cui attribuitur ratio individui, sive fuerit substantia sive accidens, conceptum mentis quo res intelligitur esse singularis et determinata sive signata in indivisibili per essentiam sub aliquo universalis, cui ex se convenit ratio individui, qua quidem significatione intelligitur essentia illa esse aliquid in se indistinctum et incommunicabile sive indivisibile per essentiam et divisum a quolibet alio suae naturae, ut sic in se sit unum quod non est natum esse hoc et aliud, sed ita hoc quod

non aliud, nec natum esse aliud, quemadmodum econtra natura generis nata est esse diversae species et est in potentia ad illas, similiter natura speciei diversa individua, sic nomen istud quod est ‘persona’ idem significat circa substantias intellectuales creatas, secundum quod praetendit definitio ‘personae’ quam assignat BOETHIUS.

Cum vero assumitur ad divina, idem significat sed modo seu ratione eminentiori, quemadmodum significant in divinis assumpta a creaturis quantumcumque proprie dicuntur de Deo, ut patet ex supra determinatis. In divinis enim significat ‘persona’ conceptum mentis qua quis intelligitur incommunicabilis esse per suam proprietatem et esse aliquis in se per illam proprietatem, non natum esse secundum illam hic et alius, sed sic est distinctus ab alio ut non sit ille, secundum quod praetendit definitio ‘personae’ assignata ab RICARDO. Et est iste modus existendi summe nobilis, scilicet ut unam essentiam singularem plures habeant communicatam qui incommunicabiles sunt secundum suas proprietates, quod amplius patebit inferius. Propter quod etiam iam dictum est supra quod ‘persona’ significat aliquid quod est nobilitatis simpliciter et in divinis nobilitatis summae. Quare cum tale quid secundum supra determinata habeat esse proprie in divinis, idcirco simpliciter dicendum quod persona proprie habet esse in divinis, et non per similitudinem neque translationem.

Verumtamen propter argumenta ad primam partem intelligendum est quod duplex est translatio. Quaedam ex parte rei, quando scilicet res non convenit divinis secundum idem significatum neque etiam ratione eminentiori, sed secundum quandam similitudinem tantum, quemadmodum in Deo dicuntur esse ‘character’, ‘speculum’ et huiusmodi, et talia non habent esse proprie in Deo. Alia vero est translatio ex parte nominis tantum, quando scilicet nomen est primo impositum creaturis et usitatum tantum circa ipsas secundum unam rationem rei, et non est usitatum in divinis secundum rationem eminentiorem rei neque impositum ad illam repraesentandum, quemadmodum contingit in singulis quae a creaturis per proprietatem assumuntur, in qua quidem assumptione sive translatione quasi nova fit nominis impositio, et tali translatione transfertur nomen ‘personae’ ad divina, et tamen per proprietatem, licet non secundum communem et propriam acceptionem secundum quam nomen ‘personae’ primo fuit usitatum in creaturis. Nam, ut dicit RICARDUS IV^o De Trinitate cap.^o 1^o: *«Si quis velit nomen ‘personae’ sub communi et propria acceptione intelligere, nullo modo putat plures personas posse subsistere in unitate substantiae. Non enim facile capit humana intelligentia ut possit esse plus quam una persona, ubi non est plus quam una substantia. Hinc*

innumeri errores infidelium, hinc quod alii divinae substantiae unitatem scindunt; hinc est quod Arriani et Sabelliani per contrarias sectas sunt divisi».

Per quod patet ratio ad ambo argumenta, maxime autem ad secundum.

<AD ARGUMENTUM>

Ad illud autem quod arguitur in primo argumento quod «'persona' in creaturis imposita est ad repraesentandum *vile* quid, ut individua hominum quos *histriones* in ludis theatricis repraesentant», dicendum ad hoc quod de impositione huius nominis 'persona', et a quibus translatum fit, sunt diversae sententiae. Nam, ut dicit magister ALEXANDER in *S u m m a* sua, «*secundum quosdam hoc nomen 'persona' in substantiis originem sumpsit a persona grammaticali, quae nihil aliud est quam proprietas qua quis est ille qui loquitur, vel ad quem quis loquitur, vel de qua quis ad alium loquitur.* In primo enim modo dicitur esse *persona prima*, in secundo *secunda*, in tertio vero *tertia*». Et quia ista proprietas convenit unicuique illorum, ut est in se et per se unus, idcirco ut in tali habitudine consistit, dicitur quilibet illorum persona. Et secundum rationem vocabuli dicitur 'persona' quasi 'per se una'. Alia vero est sententia BOETHII, *D e d u a b u s n a t u r i s*. Unde argumentum sumptum est quod videlicet nomen 'personae' videtur tractum ex illis *qui in comediis tragædiisque ludorum theatricorum repraesentabant* illos loco quorum cantus theatricos proferebant, ut *Hecubam*, *Chremetem* et ceteros tales, qui pro magnis et honorabilibus habebantur, propter quod et histriones repraesentantes illos tamquam dignos et honorabiles viros 'personae' vocabantur, quemadmodum in ecclesiasticis dignitatibus positi quia magni et honorabiles viri esse debent et ad minus eos repraesentant, 'personae' vocantur. Et secundum proprietatem vocabuli in ista translatione secundum BOETHIUM «*'persona'* secundum rationem vocabuli *dicta est 'a personando'*», hoc est perfecte et expressa voce sonando. Et hoc idcirco quoniam illi histriones quandam larvam faciem, scilicet de ligno vel cupro factam quae illum vice cuius cantabant repraesentabat tamquam notum quid et admirabile ad quos omnes aspiciebant, habebant ligatam ante facies suas, quae quidem larva obtegebat vultum et oculos eorum, et de *«concauitate illa necesse erat quod maior resonaret sonus.* Unde et *Graeci* sic 'larvatos', quos Latini appellant 'personas', appellabant *'prosopa,' eo quod* illa larva ante facies eorum ponebatur. Dicitur enim Graece

‘prosopo’ a ‘pros’ quod est ‘in’, et ‘opos’ quod est ‘facies’, quasi habens aliquid *in facie*». Et quia tales propter illam larvam qua omnibus erant noti et cogniti, ‘personae’ dicebantur, idcirco inolevit usus, sicut dicit BOETHIUS, quod «*homines omnes elegantes quorum certa pro sui forma et dignitate agnitio erat, personae dicerentur*». Et postmodum etiam generaliter omnes naturae intellectuales individuales, et hoc propter naturae illius dignitatem super alias; unde et ultimo translatum est ad divina; etenim si a vilibus hominibus et in vili officio positus, ut procedit obiectio, non tamen in quantum viles erant, sed in quantum nobiles et honoratos viros repraesentabant, ut sic nomen ‘personae’ aliquid simpliciter dignitatis et nobilitatis omnino repraesentet, ut digne possit per proprietatem, non solum per similitudinem transferri ad divina.

QUAESTIO 3

UTRUM PERSONA UNIVOCE ET EADEM RATIONE HABEAT ESSE IN DEO
ET IN CREATURIS AN AEQUIVOCE ET SECUNDUM RATIONES DIVERSAS

Circa tertium arguitur quod persona habet esse univoce et secundum eandem rationem in Deo et in creaturis. Primo sic. Quod habet esse in aliquibus secundum idem nomen et eandem definitionem, convenit eis univoce et eodem modo. Sic habet esse persona in Deo et in creaturis, ut patet de definitione ‘personae’ secundum RICARDUM. Ergo etc.

Secundo sic. Illud habet univoce et eodem modo esse in aliquibus cuius formalis ratio et completiva habet esse univoce in eisdem. Formalis autem ratio ‘personae’ est quod sit aliquis, hoc est in se singularis et incommunicabilis et a quolibet alio tali alius quis et distinctus ab eo. Et hoc univoce habet esse in Deo et in creaturis, quia quod in se sit singularis et incommunicabilis non importat nisi negationem, similiter neque quod sit alius quis a distincto ab eo. Negatio autem univoce et eodem

modo habet esse in Deo et in creaturis, quemadmodum non esse lapidem univoce et eodem modo convenit eis. Ergo etc.

In contrarium arguitur primo sic. Nihil significans rem aliquam et naturam habet esse univoce et eodem modo in eis quorum non est aliqua natura communis, quia univocatio est ex rei communis unitate, ut patet ex definitione univocorum in *Praedicamentis*. Deo autem et creaturae nulla habet esse natura communis, et nomen 'personae' significat rem et naturam subsistentem, ut infra patebit. Ergo etc.

Secundo sic. Illis non convenit univoce esse personam quibus non conveniunt univoce ea quae sunt de ratione personae et integritate eius. De ratione autem et integritate personae est natura sive essentia et ratio incommunicabilitatis, ut patet ex eius definitione superius exposita. Neutrum autem horum est univoce de ratione personae in Deo et in creaturis, quia de ratione et integritate personae est essentia in divinis ut est communicabile quid in eadem singularitate, in creaturis vero ut est communicabile non in eadem singularitate sed solum in communitate rationis. Ut in divinis est una essentia singularis plurium; in creaturis autem non, sed necessario plures plurium. Similiter etiam incommunicabilitas personae in divinis est ex proprietate relativa, in creaturis autem ex sola negatione. Ergo etc.

<SOLUTIO>

Ad intellectum quaesiti in hac quaestione oportet videre quid intelligatur nomine 'personae', quid scilicet facit aliquid esse personam, et aspicere ad illud, si univoce et secundum eandem rationem habeat esse in Deo et in creaturis, quia si sic, et univoce et secundum eandem rationem persona haberet esse in illis; si vero non, nequaquam. Et quia esse personam secundum *BOETHIUM De duabus naturis* non convenit alicui universali sed solummodo singulari et secundum rationem illam qua est singulare, licet non quodcumque, sed in se existens non in alio. In accidentibus enim non est persona, neque anima nostra ut est actus corporis est persona, neque deitas ipsa quae est in suppositis, neque universaliter aliquid quod non habet esse suum in se et per se alteri non unitum; unde humanitas Christi non est persona in Christo.

Ad rationem igitur singularis in se et secundum se existens, quod intelligitur nomine ‘personae’, oportet aspicere in hac quaestione. Super rationem enim talis singularis nihil addit ratio ‘personae’, licet ‘persona’ suo nomine non nominat huiusmodi singulare nisi circa determinatam materiam, intellectualem scilicet, ut dictum est.

Circa rationem igitur talis singularis, ut communiter accipitur, non determinando sibi materiam hanc vel aliam, sed ut absoluto nomine intelligitur, sciendum quod nomine ‘singularis’ duo intelliguntur: et intentio quaedam indistinctionis rei in se et distinctionis eius ab aliis, et ipsa res circa quam intelligitur huiusmodi intentio; et ad utrumque debemus aspicere. Aspiciendo igitur primo ad rem ipsam, sciendum quod quodam modo aliter habet esse in creaturis, aliter in divinis, et quodam modo similiter. In creaturis enim nihil habet esse singulare nisi sit individuum sub aliqua forma, quae quantum est de se forma est et essentia tantum absque ratione universalis et singularis, cui accedit ratio universalis ex consideratione intellectus circa ipsam, in quantum scilicet considerat eam ut abstractam a singularibus et iterum applicabilem eisdem per praedicationem. Unde cum talis forma specifica est, ex natura sua dividua est, hoc est nata dividi, non dico illa divisione quae est in formam generis et differentiae ut in partes integrantes eius essentiam — de qua nihil ad praesens — sed in partes subiectivas ad quas tota integritas formae est in potentia, ut tota sit in hac et tota in illa, ut humanitas in hac humanitate quae est Petri et in illa humanitate quae est Pauli, in quibus illa individuatur per hoc quod facta est haec et illa, quod secundum PHILOSOPHUM non fit nisi per subiectam materiam, in qua primo ex se est partibilitas, ut [quod] humanitas non est haec nisi quia in hac parte nec illa, nisi quia in illa parte materiae, quemadmodum albedo non est haec nisi quia in hoc subiecto. Unde et formas immateriales omnes posuit ex se esse singulares, quemadmodum nos ponimus deitatem esse ex se quandam singularitatem, quod non est ponendum. Immo quod quaelibet forma creaturae specificata est immaterialis et individualis in plures partes subiectivas, etiam licet in se absque omni subiecto et materia nata sit subsistere. Fit autem illa eius individuatio in parte subiectiva, ut humanitas in hac humanitate, immo in hoc homine effective non nisi per agens dans ei esse, nec per materiam etsi habeat materiam, nec per aliquod accidens ei inhaerens, sed primo per suam signationem et determinationem quam habet ab agente illam.

Quamquam enim secundum AMBROSIIUM I^o De Trinitate: *«omnis creatura certis limitibus essentiae suae contenta est»*, humanitas tamen ampliorem habet latitudinem spiritualement sive rationis essentiae suae quam haec humanitas. Et ideo haec humanitas respectu humanitatis

simpliciter est determinata, limitata et signata, in qua signatione consistit primo ratio singularis formae subiective sicut et individuatio ipsius formae communis. Ex consequenti autem fit utrumque eorum per negationem consequentem illam determinationem et annexam ei, non per unicam sed per duplicem, per quam scilicet separatur ab eo quod est sub se et ab eo quod est iuxta se. Humanitas enim divisa est, ut dictum est, in hanc humanitatem et illam. Etiam si non esset divisa, esset tamen quantum est ex se divisibilis, et sic non separatur ab eo quod est sub se per ullam negationem. Sed haec humanitas ex eo quod est haec, nec est divisa, nec divisibilis in aliqua sub se suae naturae, et ideo negative se habet ad ea quae imaginari possent sub se; negative etiam se habet ad ea quae sunt iuxta se et ex opposito divisa sub specie. Singularitas enim suae formae nec communicabilis est aliquibus sub se nec alicui iuxta se. Ex hoc enim habet individuum creaturae quod est hoc aliquid, id est aliquid unum in se quod non est hoc et aliud sub se, et similiter aliud quid a quolibet alio sub forma suae speciei. Habet etiam ex hoc quod est singulare et suppositum, sive fuerit intellectuale sive non intellectuale, et etiam quod est persona cum fuerit in natura intellectuali. Ratio enim ‘suppositi’ vel ‘personae’ in creatura ex hoc habetur quod ipsa sit existens in se et secundum se in natura communicabili, quod necessario habetur in creaturis ex illa duplici negatione circa formam et naturam rei determinatam.

In divinis autem non sic est ratio ‘singularitatis’ ex parte rei, quia in eis ipsa forma deitatis, etiam ut simpliciter et absolute consideratur, singularis est, nullo modo nata dividi in aliquo sub se accipiendo determinationem. Unde non est nata in supposito individuari; per proprietates tamen relativas nata est communicari manens in eadem singularitate essentiae, per quas proprietates constituitur ratio ‘suppositi’ et ‘personae’ in divinis et singularitatis earundem, non in quantum illae proprietates sunt relativae tantum, sed in quantum sunt relativae oppositae. Ex quo sequitur duplex negatio: una ratione cuiuslibet proprietatis personalis; quia enim ipsa ex se incommunicabilis est, ex hoc habetur negatio removens pluralitatem communicandi alteri suam proprietatem in eadem natura, et ne in divinis sint plures personae eiusdem respectus ut plures patres vel plures filii vel plures spiritus sancti; altera ratione oppositionis distinguentis per quam habetur negatio removens quamlibet personam a sua correlativa.

Et sic completur ratio distinctionis divinarum personarum et singularitas earum per negationem sicut et creaturarum, et quoad hoc univoce et secundum eandem rationem habent esse persona in Deo et in creaturis, ut processit secunda obiectio ad primam partem. In quan-

tum tamen huiusmodi negationes concomitantur in divinis relativis proprietates, quae in essentia communi personas constituunt principaliter atque distinguunt, licet non sine virtute negationum annexarum, in creaturis, ut concomitantur, distinguunt ipsius naturae et essentiae determinationem quae ipsam essentiam contrahit in suppositum et personam, licet non sine virtute negationum annexarum, ut dictum est supra. Et secundum hoc licet ratione negationum univoce et secundum eandem rationem habent esse et constitui persona in Deo et in creaturis, ratione tamen illorum quibus dictae negationes sunt annexae hinc inde, quod illic est ipsa essentia vel natura determinata, hic vero proprietatum relatio, multum aequivoce et alia atque alia ratione habent esse persona in Deo et in creaturis, in quantum altera est ratio et aequivoca constituendi personam, in creatura essentiae creatae determinatio et in Deo proprietatum relatio.

Ex parte tamen negationum aliquid refert de negatione respectu eius quod est sub se et respectu eius quod est iuxta se, quia ex parte eius quod negatur sub se, omnino est univoca negatio, quia sicut divina persona singula in se plurificari non potest, sic nec creata persona; ex parte vero eius quod negatur iuxta se, quodam modo est univoca et quodam modo aequivoca. Quod enim una persona negatur ab altera in divinis, hoc non est ratione naturae et essentiae sed personalis proprietatis, in creaturis vero et ratione essentiae et ratione personalitatis una removetur ab altera, quia in Deo una est essentia singularis communis pluribus personis, non sic in creaturis.

Sic ergo aspicendo ad rem ipsam circa quam consideratur intentio singularis in Deo et in creaturis, quodam modo univoce et quodam modo aequivoce habet esse persona in illis. Si vero aspicimus ad ipsam intentionem, cum ratio intentionis non diversatur propter diversitatem rerum circa quas est (non enim est alia ratio speciei quae est intentio logicalis in quantum consideratur circa substantiam, ut circa hominem aut asinum, et in quantum consideratur circa accidens, sive fuerit absolutum, ut circa albedinem aut nigredinem, sive respectivum, ut circa dominium vel servitutem), dicendum est quod omnino univoce et secundum eandem rationem 'persona' habet esse in Deo et in creaturis, quamvis in Deo consideratur circa respectivum, in creaturis vero circa absolutum, nisi quod personae intentio consideratur in Deo in pluribus personis respectu essentiae singularis, non sic autem in creaturis. Sed hoc rationem intentionis nullo modo variat.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum argumentum ostendens quod «omnino *univoce et eadem ratione in Deo sit et in creaturis*, quia eadem est *definitio 'personae'* utrobique», dicendum quod non est verum, quia talis est aequivocatio in definitione qualis est et in nomine. Existencia enim incommunicabilis est in persona creata et increata, sed aequivoca incommunicabilitate. Incommunicabilitas enim existencie in persona creata habetur ex essentie determinatione; in persona vero increata ex proprietatum relatione, ut visum est.

Ad primum argumentum in oppositum ostendens quod omnino aequivoce est 'persona' in illis, quia «*nulla res aut natura communis est univoce Deo et creaturis*», dicendum quod ratio ista probat quod non penitus univoce convenit eis. Si tamen 'persona' est nomen rei et naturae, sicut etiam nomina attributorum essentialium non penitus univoce conveniunt Deo et creaturis, ut patet ex supra determinatis, nec tamen ex hoc sequitur quod penitus aequivoce, quia est media analogia secundum quam tam essentialia quam personalia quae conveniunt communiter Deo et creaturis, per prius Deo conveniunt, quantum est ex ratione significati per vocem, licet quantum est ex vocis impositione conveniunt eis modo converso, quia a creaturis fit omnis vocum translatio quibus utimur circa Creatorem, secundum quod melius infra declarabitur disputando de modo loquendi de Deo. Si vero 'persona' sit nomen intentionis, tunc argumentum falsum supponit de significato 'personae' quod significat rem et naturam, immo potius quendam modum conceptus circa rem quem nihil repugnat univoce quodam modo et secundum eandem rationem esse in Deo et in creaturis, et quodam aequivoce, ut iam dictum est. Sed de illo erit sermo in sequenti quaestione, in qua loquemur de significato huius nominis 'persona'. Licet enim nulla res pure univoce convenit Deo et creaturae, nihil tamen repugnat aliquam intentionem secundam pure univoce ipsis convenire, quia non ponit aliquid in Deo, sed potius in conceptu intellectus, ut infra patebit.

Ad secundum quod «*essentia non est univoce de ratione personae in Deo et creaturis, quia in Deo habet rationem communicabilis, in creatura vero incommunicabilis*», dicendum quod secundum RICARDUM, IV^o De Trinitate cap.^o 8^o, ut infra magis exprimetur, 'personam' «*in iuxta eandem intelligentiam accipimus in singulari et in plurali. Sed sive essentia sit communicabilis sive non, sive plures in pluribus personis sive una et eadem singularis, nihil interest*». Unde cum duo sint de integritate personae, scilicet essentia et personalis proprietas, ut patebit inferius circa personas divinas, ipsa essentia est quasi materiale in eadem et proprietas quasi formale, ita quod in ratione proprietatis consistit ratio 'personae', ita

quod persona est una si proprietas sit incommunicabilis et una, et plures, si plures sint tales, sive substantia sit communicabilis pluribus in una singularitate, sive tantum in pluribus singularitatibus. Ut enim dicit RICARDUS IV^o De Trinitate cap.^o 10^o: *«Sicut esse substantialiter aliud et aliud non tollit ubique unitatem personae, sic esse pluraliter unum et alium non scindit ubique unitatem substantiae. Nam in humana natura alia est substantia anima, alia corpus, cum tamen non sint nisi una persona. In divina vero natura alius aliquis est persona una, et alius aliquis persona altera, cum tamen non sit nisi una eademque substantia»*. Et ut dicit cap.^o 25^o: *«Proprium est divinae naturae pluralitatem habere in unitate substantiae personarum. Econtra vero proprium est humanae naturae substantiarum pluralitatem habere in unitate personae. Nam quod humana persona in simplicitate substantiae invenitur, non est de naturae ipsius condicione, sed de ipsius condicionis corruptione fore deprehenditur»*, et hoc non nisi ab eo quod est formale in esse hominis, a quo principaliter trahit suam personalitatem, ut in anima separata est. Cum etiam additur quod «incommunicabilitas non est eiusdem rationis in creaturis et in Deo», dicendum quod quantum est ex parte positivi quod importatur nomine ‘proprietas’ in divinis, non est aliquod correspondens in individuatione creaturae, et quantum ad hoc ratio ‘individuationis’ vel ‘personalitatis’ non est univoce in creaturis et in Deo; quantum tamen est ex parte negationum annexarum, partim est univocatio, partim aequivocatio, ut expositum est.

QUAESTIO 4

UTRUM PERSONA SIT SEU HABEAT ESSE IN DEO SECUNDUM SUBSTANTIAM AN SECUNDUM RELATIONEM

Circa quartum arguitur quod persona dicitur et habet esse in Deo secundum substantiam et non secundum relationem, per MAGISTRUM, qui dicit distinctione 23^a I Sententiarum cap.^o 1^o: *«Unum est nomen, scilicet persona, quod secundum substantiam de singulis dicitur personis»*. Quod confirmat auctoritate AUGUSTINI ex VII^o De Trinitate.

Secundo sic. In eadem auctoritate dicit AUGUSTINUS: «*Pater ad se dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum Sanctum, sicut ad se dicitur Deus*»; sed secundum regulam AUGUSTINI, V^o De Trinitate, quam pertractat MAGISTER distinctione 22^a: «*Quidquid ad se dicitur praestantissima illa et divina sublimitas substantialiter dicitur*». Quod autem substantialiter dicitur in divinis, dicitur secundum substantiam et non secundum relationem. Ergo etc.

Quod autem non dicatur secundum substantiam sed secundum relationem, arguitur ex illo quod dicit BOETHIUS De Trinitate: «*Necesse est illud vocabulum quod ex personis originem capit ad substantiam non pertinere*»; sed «*propter quod unumquodque tale et ipsum magis*», secundum PHILOSOPHUM in Topicis. Ergo etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc nondum descendendo ad significatum personae quod secundum duo praedicamenta quae sunt in divinis, substantia scilicet et relatio, secundum modum supra determinatum, duo modi essendi et praedicandi distinguuntur in divinis, ita quod quidquid praedicatur de Deo et Deo attribuitur, ad unum illorum retorquetur: aut scilicet quod de Deo dicitur seu habeat esse in ipso secundum substantiam et ratione substantiae, aut secundum relationem et ratione relationis. Quod verum est, quia omne nomen in divinis formaliter significat aut substantiam aut relationem, aut tracta est sua formalis significandi ratio a substantia aut a relatione, quae realiter sunt in Deo, etiamsi non significat secundum rem alterum horum, sed intentionem aliquam rationis circa id quod principaliter significat substantiam aut relationem in divinis.

Est igitur intelligendum quod licet in divinis nomen aliquod potest aliquando significare puram essentiam sive substantiam, ut hoc nomen 'deitas', aliquando vero puram relationem, ut hoc nomen 'paternitas', aliquando autem utrumque simul, ut hoc nomen 'pater', sicut patebit inferius, dici tamen aut esse in divinis non dicitur nisi secundum illud a quo formaliter nominis significatio trahitur aut imponitur ad significandum, ut illud nomen quod formaliter in sua impositione capit originem a substantia dicatur et sit in Deo secundum substantiam, quod vero a relatione secundum relationem, etiamsi reliquum significetur quasi materialiter in nomine. Unde hoc nomen 'pater', quia formaliter imponitur a relatione personali, quamquam in suo significato includit communem essentiam, ut infra videbitur, in Deo dicitur et habet esse

secundum relationem. Nunc autem ita est quod quidquid significatur hoc nomine 'persona', tamen sua formalis ratio ad quam imponitur ad significandum, aut est ipsa relatio aut tracta est a relatione. Si enim non esset in Deo relatio distinguens, nullo modo poneretur in Deo aliqua illarum personarum quae modo constituunt ineffabilem Trinitatem, ut infra patebit. Quomodo autem significat relationem aut tracta est a relatione, patet ex quaestione praecedenti, ubi est expositum quomodo ratio singularitatis divinarum personarum, in qua consistit ratio personalis, tracta est primo et positive a relatione. Sed hoc magis apparebit in quaestione sequenti.

Idcirco absolute dicendum est quod persona in divinis dicitur secundum relationem et secundum relationem habet esse in Deo, non autem secundum substantiam. Propter tamen solutionem argumentorum intelligendum quod aliquid est vel dicitur secundum relationem dupliciter: vel in se ipso vel in contento sub ipso. Primo modo dicuntur relative illa quae determinate aut determinatam relationem significant, ut sunt 'Pater', 'Filius', 'Spiritus Sanctus', quia dicitur 'Pater' Filii Pater et 'Filius' Patris Filius, quae dicuntur secundum relationem secundum suum nomen et secundum formalem rationem nominis a qua imponuntur, dicente AUGUSTINO V^o De Trinitate cap.^o 5^o: «*Non secundum substantiam haec dicuntur, quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invicem atque alterum dicuntur*». Secundo modo relative dicuntur illa quae indeterminate aut indeterminatam relationem significant, ut hoc nomen 'persona', hoc nomen 'Trinitas' et huiusmodi, quae non dicuntur ad aliquid secundum suum nomen, quia non habent correlativum sibi respondens extra se, quamvis secundum formalem rationem nominis relationem significant, aut tractum a relatione habent eam, sed dicuntur ad aliud in suis contentis, quae sunt nomina importantia relationes indeterminatas.

<AD ARGUMENTA>

Per haec patet ad primum quod «secundum AUGUSTINUM 'persona' secundum substantiam dicitur», dicendum quod verum est quoad hoc quod secundum nomen suum non dicitur ad aliud, non quod de formali ratione a substantia imponitur, quia solum materialiter includit in suo significato substantiam, sed non trahit suum ab ea. Et hoc bene exponit littera AUGUSTINI VII^o De Trinitate, quae dicit sic: «*Sic esse ad se dicitur persona relative, sicut dicamus tres personas Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici aut tres proximi, quia haec*

nomina relativam significationem habent. Quid ergo? Num placet dicamus Patrem esse personam Filii et Spiritus Sancti, aut Filium esse personam Patris et Spiritus Sancti, aut Spiritum Sanctum esse personam Patris et Filii? Sed neque in hac Trinitate cum dicimus personam Patris, aliud dicimus quam substantiam Patris». Quod verum est quantum est ex proprietate nominis in se, quia secundum nomen suum non dicitur «personam Patris, aliud dicimus quam substantiam Patris». Quod verum est quantum est ex proprietate nominis in se, quia nomen suum non dicitur ad aliud, quemadmodum econtra tres aliqui dicuntur invicem vicini aut propinqui. Ex parte tamen rei propter formale significatum secundum relationem dicitur. Propter quod subdit dicens quod «persona Patris non aliud quam ipse Pater».

Per idem patet ad secundum.

QUAESTIO 5

UTRUM PERSONA IN DEO SIGNIFICET REM, SUBSTANTIAE SCILICET AUT
RELATIONIS, AN INTENTIONEM TANTUM

Circa quintum articulum arguitur quod persona non significat divinam substantiam neque relationem quae cadunt in significato Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quod non substantiam sic. Quidquid significat nomen in singulari plurificatur in suo plurali, sive quasi materialiter sive quasi formaliter cadat in significatione, ut patet cum dicitur ‘homo’ et ‘homines’. Unde si plures sint homines, plura sunt animalia et plura rationalia. Si ergo ‘persona’ significat essentiam deitatis, cum habeat esse pluraliter in divinis, plures essent deitates in divinis. Consequens est falsum. Ergo etc.

Similiter, nec solam substantiam, quia tunc non esset persona ad aliquid sicut neque substantia. Significat ergo utrumque aut neutrum. Non utrumque, quia nihil univoce significat ea quae sunt diversorum

praedicamentorum, cuiusmodi sunt substantia et relatio. Esset ergo 'persona' nomen aequivocum. Consequens est falsum. Ergo etc.

Quod non significat relationem arguitur sic. Nomen proprie assumptum ad divina a creaturis idem quod significat in creaturis significat in Deo sub ratione eminentiori, ut patet in nominibus attributorum secundum supra determinata. Persona <autem>, ut iam determinatum est, proprie sumitur ad divina a creaturis, et in creaturis nequaquam significat relationem, quod patet discurrendo per singulas personas creaturarum. Ergo etc.

Quod non significet solam relationem arguitur, quoniam tunc idem esset dicere "Pater est persona" quod "Pater est paternitas" aut filiatio aut spiratio, quia non sunt aliae relationes personales in Deo. Consequens est falsum, quia ex sola paternitate non est Pater persona, ut inferius patebit; ergo etc.

Tertio contra utrumque. Quod non significet rem sed intentionem arguitur sic. Idem significat 'persona' in rationalibus sive intellectualibus quod 'individuum' in non-rationalibus sive non-intellectualibus, secundum BOETHIUM dicentem quod «*persona est individuum rationale*»; sed nomen 'individuum' significat intentionem et est nomen intentionis; ergo etc.

In contrarium arguitur quod 'persona' non significat solam intentionem primo sic, quoniam si 'persona' significaret intentionem non rem, cum in personis consistat gloriosa Trinitas, tunc consisteret solummodo in intentionibus et non in rebus, quod falsum est, dicente AUGUSTINO, libro I^o De doctrina christiana: «*Res quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Eadem tamen Trinitas quaedam summa res est*». Ergo etc.

Secundo sic. Id quod significatur nomine 'personae' est adorandum, quia Trinitas est adoranda. Nihil autem est adorandum nisi res divina, et illa non est nisi essentia et relatio. Ergo etc.

Quod autem significet substantiam arguitur, quia significat aliquid subsistens. Et in divinis nihil subsistit nisi ipsa substantia. Ergo etc.

Quod significet relationem similiter arguitur, quia contenta sua significant relationem, quae est Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Hoc autem non esset nisi significaret relationem. Ergo etc.

Ex quo concluditur ulterius quod significet utrumque simul, et substantiam scilicet et relationem.

<SOLUTIO>

Quia quaestio ista est de significato huius nominis ‘persona’, quid scilicet sit, quid autem significetur per nomen quodcumque, sciri non potest nisi primo cognitis in generali eis quae per nomina habent significari, et qualiter consuetum est uti ipso nomine de quo est quaestio, idcirco hic primo oportet considerare quae sint ea quae habent significari per nomina; secundo ex usu huius nominis ‘persona’ oportet investigare quid illorum per ipsum significetur.

Circa primum igitur horum sciendum quod nomina quaedam significant rem puram, quaedam vero significant intentionem puram, quaedam vero significant medio modo se habens, aliquid scilicet quod quodam modo res est et quodam modo intentio. Rem puram significant nomina rerum singularium; singularia enim sunt res purae et nullo modo intentiones, quia solummodo habent esse a natura et nullo modo a consideratione rationis, ut sunt iste homo, iste lapis. Unde cum nomina eis fuerint imposita, secundum quod ‘Petrus’ vel ‘Paulus’ est nomen istius hominis, illa appellantur simpliciter nomina rerum. Universalia autem rerum singularium et sunt quodam modo res et quodam modo intentiones: res in quantum illam naturam repraesentant quae habet esse in singularibus, intentiones vero in quantum habent rationem abstracti in consideratione intellectus. Propter quod nomina eis imposita sunt quodam modo nomina rerum et quodam modo intentionum sed primarum.

Intentionum enim quaedam sunt primae, quaedam vero secundae, et sic quodlibet universale reale, in quantum habet rationem abstracti, est intentio praedicabilis, quia extra singularia non est nisi in consideratione intellectus. Cetera vero quae per considerationem intellectus considerantur sive operantur et circa universalia et circa particularia, sive mediate sive immediate, sunt intentiones purae. Propter quod nomina illis imposita vocantur nomina intentionum, sed secundarum, quia post conceptam rationem universalis realiter concipit eas intellectus et circa universalia rerum et circa singularia.

Sed istae sunt in duplici genere, quia quaedam sunt acceptae ab intellectu ut proprietates circa res principaliter, quaedam vero ut proprietates circa nomina rerum. De genere primo sunt intentiones logicales, ut sunt ratio universalis, generis scilicet et speciei et differentiae et huiusmodi circa universalia rerum, individuum et particulare et huiusmodi circa singularia rerum. Ista enim nomina non significant nisi respectus et habitudines inter ipsas res comparatas ad invicem consideratione intellectus. De secundo genere sunt intentiones grammaticales, ut sunt ratio nominis et verbi, adiectivi, substantivi et huiusmodi,

quae non significant nisi modos nominum, propter quod dicuntur nomina nominum.

Consideratio primarum intentionum, quia est rerum secundum se, pertinet ad scientias reales. Consideratio vero secundarum intentionum, quia vel est circa res ut sunt expressibiles vocibus et hoc quoad intentiones logicales, vel est circa ipsas voces et hoc quoad intentiones grammaticales, pertinet ad scientias sermocinales; et tamen logica minus sermocinalis et magis realis est quam grammatica et quasi media inter scientias reales et grammaticam.

Circa secundum autem sciendum quod diversis apparet diversus usus huius nominis ‘persona’, secundum quod diversimode iudicaverunt de eius significatione in divinis. Sed OMNES quos audire aut videre potui negant ipsam esse nomen intentionis, sed ponunt ipsam esse nomen rei et significare substantiam sive essentiam, licet non solam. Sed ipsorum QUIDAM dicunt personam plura significare et aequivoce, QUIDAM autem plura sed univoce, QUIDAM vero tantum unum.

Ponentium vero quod significat plura et aequivoce, nullus ponit quod significat plura aequae primo et eodem modo, quemadmodum significant proprie aequivoca, sed omnes dicunt quod primo et ex prima impositione nominis non significat nisi substantiam sive essentiam, sed alia ex consequenti et accidente. Quorum QUIDAM dicunt quod significat alia ex adiuncto, QUIDAM vero quod ex usu, TERTII vero quod ex consignificatione.

PRIMI dicunt quod per se significat substantiam, sed ex adiuncto quandam proprietatem personalem, aliquando vero hypostasim continentem utrumque. Quam exponit PRAEPOSITINUS in Summa sua dicens: «Respondent quidam dicentes quod hoc nomen ‘persona’ tripliciter accipitur; quandoque enim significat essentiam, quando scilicet per se ponitur in praedicato sine aliquo adiuncto, ut “Pater est persona”, “Filius est persona”; quandoque significat hypostasim, id est subsistentiam, ut quando ei aliquid additur, ut “Pater est aliqua persona” et “Filius est alia persona”, et “alia est persona Patris”, alia Filii; quandoque proprietatem ut Pater in persona distinguitur a Filio, id est personali proprietate». Et est MAGISTRI Sententiarum, distinctione 25^a, ubi dicit cap.^o ‘Sciendum’: «Hoc nomen ‘persona’ multiplicem, non unam facit intelligentiam tantum. Discernentes ergo dicendi causas huius nominis ‘persona’, significationem distinguimus, dicentes quod proprie per substantiam dicitur et essentiam significat cum dicitur: “Deus est persona”, “Pater est persona”» etc. Unde concludit in cap.^o ‘Hoc etiam modo’: «Ex praedictis colligitur quod nomen personae in Trinitate triplicem facit intelligentiam. Est enim ubi facit intelligentiam essentiae, et est ubi facit intelligentiam hypostasis, et est ubi facit

intelligentiam proprietatis». Quae confirmat auctoritatibus in capitulo sequenti.

Haec opinio supponit quod ‘persona’ principaliter et secundum se significat substantiam, sed ex adiuncto hypostasim vel proprietatem. Contra quod PRAEPOSITINUS arguit dicens: «*Si hoc nomen ‘persona’ principaliter significat essentiam quae ratio exigit quod cum haec sit eius principalis significatio, quod eam statim amittat ex adiunctione?*» Revera nulla. Falsum etiam supponit quod «*essentia sit eius principalis significatio*», ut iam patebit. Eadem enim ratione posset dici idem de hoc nomine ‘homo’ et hoc nomine ‘suppositum’, quia praedictis tribus modis ponuntur in orationibus.

Quod autem sit aequivocum extensione usus, ponit PRAEPOSITINUS dicens sic: «*Hoc nomen ‘persona’ hodie non significat essentiam, sed quondam significabat; sed necessitate faciente, ut dicit Augustinus, translatum est a significatione essentiae ad significationem distinctionis*». Quod non potest stare, quoniam ante illam Ecclesiae necessitatem non accipiebatur in divinis neque ad significandum substantiam neque distinctionem, sed tantum in creaturis, in quibus constat non significasse substantiam, quae est essentia rei, quia tunc non fuisset aliud dicere “Sortes est persona” quam dicere “Petrus est homo” vel Sortes, et esset eadem communitas in ‘persona’ ad Petrum, Paulum et Andream quae est in homine, quod non est verum, ut iam patebit.

Quod vero sit aequivocum ex consignificatione, dicunt TERTII, qui dicunt quod ex se et prima impositione in singulari non significat nisi essentiam, sed in plurali ratione numeri consignificati significat distinctionem personarum. Quod non potest stare, quoniam consignificatum pluralis numeri nihil apponit super significatum singularis nisi eius geminationem sive multiplicationem, quare non variat significationem.

Ponentium vero ‘personam’ significare plura univoce, OMNES dicunt quod illa non significat aequae principaliter et eodem modo. Aliter enim non posset esse univocum, si significaret plura, nisi significaret illa sub ratione unius quod principaliter significatur per nomen. Sed ALIQUI illorum dixerunt quod «*substantiam principaliter significat*», relationem autem distinctivam secundario, ut SIMON TORNACENSIS et eius sequaces. Unde dicit in *S u m m a* sua: «*Aio ‘personam’ ratione etymologiae dici per se unam. Unde hoc nomen ‘persona’ duo importat: et significationem unitatis essentiae et consignificationem personalis distinctionis, quam designat iunctura dictionum per se unum*» etc., secundum quod ipse prosequitur, et secundum quod PRAEPOSITINUS positionem illam exponit in *S u m m a* sua dicens: «*Sunt aliqui qui dicunt quod hoc nomen ‘persona’ significat principaliter essentiam et*

consignificat distinctionem, quia cum dico "Pater est persona", tantum valet quantum "Pater est unum et per se", id est distinctus, ut hoc vocabulum 'unum' significat essentiam et hoc pronomen 'se' masculini generis consignificet distinctionem.

In hac positione concordat magister GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS in *S u m m a* sua, sed modum addit, scilicet quod cum hoc quod significat distinctionem relationis, significat essentiam quodam modo quasi specificam, scilicet intellectualis naturae. «*Persona enim*», ut dicit, «*est substantia rationalis sive intellectualis naturae*». Sed si ita esset, tunc essentia principaliter daret personae esse personale (in illo enim consistit principaliter esse rerum quod principaliter nomine eius significatur); quod falsum est, quia in constitutione divinae personae essentia est quasi genus et materiale, proprietas vero distinctiva quasi differentia et formale. Formale autem semper principaliter significatur in termino et *dat esse rei*, secundum determinationem PHILOSOPHI in VIII^o *Metaphysicae*.

RICARDUS vero IV^o *De Trinitate* 5^o et capitulis sequentibus determinat quod significat proprietatem principaliter sed cum essentia quam in sua significatione includit. Dicit enim in cap.^o 6^o: «*Dictum est ab aliis quod secundum substantiam dicitur et substantiam significare. Nihilominus tamen multum interest inter significationem unius et significationem alterius*», quia, ut dicit cap.^o 7^o, «*nomine substantiae non tam quis quam quid significatur; e converso autem nomine personae non tam quid quam quis designatur*». Et ut consequenter determinat, 'quid' pertinet ad qualitatem substantiae, et de ipsa quaerit, 'quis' vero ad proprietatem individualement sive incommunicabilem personae. Unde etiam quaerit de substantia in creaturis, primo de generali, secundo de speciali. «*Cum enim aliquid longe a nobis fuerit ut discerni non possit, interrogamus quid sit. Et si respondeatur quod sit aliquid, ulterius eadem interrogatione facta indigemus quod respondeatur esse animal, aut equus aut huiusmodi. Demum autem cum scimus quod est homo, interrogamus non quid sed quis sit, et respondetur Mattheus vel Bartholomeus. Itaque per 'quid' inquiritur de proprietate communi, per 'quis' de proprietate singulari*». «*Nomine enim 'personae' numquam*», ut dicit, «*intelligitur nisi unus aliquis ab aliis omnibus singulari proprietate discretus*». Et ut dicit cap.^o 6^o, «*Cum nominamus personam, nisi unam solam substantiam et singularem intelligimus, ut nomine 'personae', etsi significetur substantia animalis aut hominis aut deitatis, nomen tamen 'personae' ut distinguitur contra alia nomina, non imponitur nisi a proprietate singulari incommunicabili quae non convenit nisi uni in singularitate existenti, a nulla tamen determinate quemadmodum designatur in nomine proprio*», quod est Petrus vel Paulus in creaturis aut nomine 'Patris' vel 'Filii' in divinis, quemadmodum si 'animal' imponeretur ad significandum proprietatem specifi-

cam, nullam tamen determinate neque hominis aut alterius et nullam proprietatem generalem communem ad illas speciales significaret.

Et sic patet falsum esse dictum QUORUNDAM de significato huius nominis 'persona', videlicet quod sicut 'Pater' significat substantiam cum relatione quae est paternitas, a qua nomen imponitur, et 'Filius' cum relatione quae est filiatio, sic 'persona' significat relationem in communi ad paternitatem, filiationem et spirationem cum ipsa substantia. Quod non est verum, quia non significat commune aliquid realis relationis ad tres relationes, sed significat cum substantia relationem incommunicabilem sub indifferentia ad quamlibet illarum et indeterminate, ita quod non differt significatio 'personae' a significato 'Patris' aut 'Filii' aut 'Spiritus Sancti', nisi sicut determinatum et indeterminatum absque significatione alicuius communis ad illa.

Quod autem 'persona' significet essentiam tantum est unica opinio et unius quam recitat et exponit PRAEPOSITINUS in Summa sua dicens: «*Dixit magister Gerardus Lapucelle quod hoc nomen 'persona' aliter significat divinam essentiam quam hoc nomen 'essentia', quia hoc nomen 'essentia' significat divinam naturam gratia sui et supponit pro ea et non pro aliqua personarum et hoc nomen 'persona' econtra significat divinam naturam, non gratia sui sed gratia contentorum, id est Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et ita significat eam et non supponit pro ea, sed pro aliqua personarum, ut in hoc simili videri potest: cum enim dicitur haec species 'homo', designatur haec species gratia sui et supponit pro ea. Sed hoc nomen 'homo' significat eandem speciem, non gratia sui sed gratia contentorum*», et supponit pro eis. «*Et ita fere est de hoc nomine 'persona', et inde est quod hoc nomen 'persona' significat essentiam in plurali. Unde cum dicitur idem est Patrem esse personam et esse substantiam, hic est sensus: idem significatur his nominibus 'persona' et 'essentia', licet diversimode. Et cum dico 'personam Patris', nihil aliud dico quam substantiam Patris, id est nihil aliud significo per hoc nomen 'persona' quam per hoc nomen 'substantia'. Et ita quidquid additur, semper significat substantiam*».

Sed ut contra eum arguit PRAEPOSITINUS et bene, «*Secundum hoc non est concedendum "Pater non est persona proprietate sed tantum natura"*», quod est contra HILARIUM dicentem: «*Pater proprietate est persona, non natura*». Per idem etiam improbatur opinio dicentium quod 'persona' primo et principaliter significat substantiam; tunc enim Pater potius esset persona natura quam proprietate.

Est autem advertendum quod in omnibus praedictis opinionibus, exceptis illis quae sunt SIMONIS et RICARDI, substantia quae est essentia ponitur esse de significato 'personae'. Unde auctoritates dicentes personam esse substantiam, vel idem esse personam et essentiam et huiusmodi, exponuntur secundum quod exponit eas magister GERAR-

DUS LAPUCELLE. Quod bene insinuat MAGISTER *Sententiarum* distinctione 25^a in cap.^o ‘Persona’ ubi dicit: «Unde manifeste colligitur quod *essentiam divinam praedicamus dicentes “Pater est persona, Filius est persona, Spiritus Sanctus est persona”, id est essentia, et omnino unum et idem significatur nomine ‘personae’, id est essentia divina, et quod significatur nomine ‘Dei’ cum dicitur “Pater est Deus, Filius est Deus”*». Et cum eis arguitur aliquid inconueniens, ut cum essentia Patris est essentia Filii, si idem significarent ‘essentia’ et ‘persona’, tunc persona Patris esset persona Filii, respondent quod aliud supponit respectu Filii, licet non significet nisi essentiam.

In positione autem SIMONIS et RICARDI substantia quae est hypostasis ponitur esse de significato ‘personae’. Et quia id quod est hypostasis complectitur essentiam communem cum proprietate distinctiva, ideo et magister SIMON et magister RICARDUS ambo illa duo ponunt esse de significato ‘personae’, licet diversimode, ut dictum est; et habent plus veritatis inter ceteras, quoniam in divinis personis consistit Trinitas in unitate et unitas in Trinitate; quod de significato ‘Trinitatis’ sit ipsa unitas essentiae, licet ratio Trinitatis formaliter habetur ex ternario proprietatum, quia ab ipsa nomen imponitur, ut infra videbitur. Est enim proprietas formalis respectu essentiae in significatione et constitutione personae, ut similiter infra videbitur. Propter quod positio RICARDI, quae ponit quod persona principaliter significat proprietatem magis rationabilis est quam SIMONIS, quae ponit essentiam principaliter. Singulae enim aliae, licet aliquid veritatis habeant, deficiunt tamen in multo. Sed illa quae est RICARDI aut solidam habet veritatem aut minus defectus habet quam aliquae aliarum.

Quod patet ex declaratione eius quam ponit SIMON in *Summa* sua, ubi videtur concordare cum RICARDO, dicendo quod «*substantia dupliciter dicitur: quod subsistit ut suppositum et subiectum, et quo subsistit, id est substantialis proprietas*». Substantia enim quae subsistit in creaturis duplex est secundum quod in eis duplex est suppositum, scilicet universale generis et speciei, ut animal et homo, et singulare individuum sub specie, quarum prima facit quid, secunda vero facit quem. Et illa quae facit quem potest significari aut sub ratione singularitatis sive individuationis determinate aut indeterminate. Primo modo significatur istis nominibus ‘Petrus’, ‘Paulus’, secundo modo hoc nomine ‘individuum’ vel ‘persona’, quae licet sit nomen appellativum, hoc est aliter quam sit appellativum nomen generis et speciei, quia illa imponuntur ab una proprietate communi. Nomen vero ‘personae’ a nulla proprietate una imponitur sive universali sive singulari, sed a proprietate singulari indeterminate tamen ad omnes. Unde in divinis hoc nomen ‘Deus’

imponitur ad significandum naturam quae est communis essentia sub modo et ratione suppositi. Ista autem nomina 'Pater' et 'Filius' et 'Spiritus Sanctus' imponuntur ad significandum supposita determinata individualibus proprietatibus determinatis.

'Persona' vero significat suppositum indeterminatum, et ideo indeterminatum, quia sub nulla proprietate individuali determinata, ut secundum hoc 'persona' significat substantiam quae est suppositum sive hypostasis indeterminata. Non dico hanc intentionem quae est importata nomine 'suppositi' aut 'hypostasis', sed quae est res, et hoc quemadmodum 'Pater' aut 'Filius' aut 'Spiritus Sanctus' significat substantiam quae est hypostasis determinata, quae quidem substantia hypostasis includit in significato 'personae' substantiam quae est essentia divina, sicut includitur et in significato 'Patris' et 'Filii' et 'Spiritus Sancti', et similiter relationem quae est incommunicabilis proprietas personae constitutiva cum essentia. Sed illa indeterminate includitur et sub indifferentia in nomine quod est 'persona', determinate autem in nomine 'Patris' aut 'Filii' aut 'Spiritus Sancti'.

Et patet secundum istum modum exponendi significatum 'personae' quod persona est nomen rei, et de principali significato suo significat rem, non quae est essentia nec quae est relatio, sed quae est constituta ex utraque includens in se et essentiam et relationem; et per hoc ambo cadunt in significato 'personae'. Et per hunc modum persona est res quaedam et quodam modo res alia quam sit res quae est essentia aut relatio, secundum quod amplius infra patebit. Per quod etiam patet quod secundum hanc sententiam RICARDI 'persona' non est nomen intentionis sed rei cui convenit intentio singularis, incommunicabilis, subsistentiae et huiusmodi.

Et ita sicut in creaturis dicimus quod secundum PHILOSOPHUM VII^o et VIII^o *Metaphysicae* nomen significat per se et principaliter compositum, secundo formam et tertio materiam, sic in divinis hoc nomen 'persona' per se et principaliter significat constitutum ex essentia et proprietate, et quasi secundo proprietatem, et quasi tertio essentiam. Sed proprietatem determinatam personae significat, indeterminate tamen et ad illam quae est Patris et illam quae est Filii, et ad illam quae est Spiritus Sancti, quemadmodum singulus istorum suo nomine significat proprietatem determinatam et determinate. Unde si generaliter sumitur nomen 'personae' significat substantiam intellectualem quae est hypostasis incommunicabilis, quaecumque sit illa et qualitercumque fiat incommunicabilitas, sive a natura determinationis essentiae communis, ut contingit in creaturis, sive a proprietate incommunicabili relativa, sicut contingit in divinis, ut habitum est supra.

Unde quia nomen 'personae' in toto significat substantiam quae est hypostasis, quae includit in se substantiam quae est essentia cum relatione, melius definit BOETHIUS 'personam' communiter acceptam in Deo et in creaturis dicendo quod est '*substantia*', quam RICARDUS dicendo quod est '*existentia*'. 'Substantia' enim secundum usum Graecorum supponere potest pro hypostasi, quod non potest facere aequae usitate 'existentia', licet melius specificat RICARDUS dicendo '*incommunicabilis*' quam BOETHIUS dicendo '*individua*' (Individuum enim, ut supra dictum est, non recipitur in divinis). Et similiter dicendo '*intellectualis naturae*' quam BOETHIUS dicendo '*rationalis naturae*' (rationale enim non ita proprie sumitur in divinis ut intellectuale).

Secundum igitur dictum modum omnium praedictorum opiniones ponunt personam esse nomen rei et non nomen intentionis. Sed utrum hoc verum sit ex usu huius vocabuli 'persona', circa creaturas investigare debemus, quia ab usu quem habuit in creaturis assumptus est usus eius in Deo. Nunc autem in creaturis intellectualibus aperte videmus quod hoc nomen 'persona' circa substantias intellectuales non significat aliud quam significat hoc nomen 'individuum' circa substantias subsistentes non intellectuales sive non intellectuales creaturas, dicente BOETHIO, De duabus naturis: «*persona est rationale individuum*»; et ibidem: «*persona est rationalis naturae individua substantia*». Dico autem quod significat illud circa substantias intellectuales sive rationales, quia persona non significat ipsas substantias, sed tantum individuationem quam importat determinate, ut intentionem quandam singularitatis circa huiusmodi substantias, quemadmodum simum determinat curvitem quam significat circa nasum, non autem ipsum nasum significat. Non quod illae substantiae sint de significato personae, quemadmodum nasus non est de significato sed solum de intellectu simi. Quod expresse dicit BOETHIUS quaerens de persona: «*quare de irrationalibus animalibus Graecus non dicit, sicut et nos de eisdem nomen substantiae praedicamus*». Et respondet dicens: «*Haec est ratio quoniam hoc melioribus applicatum est ut aliquid quod est excellentius*». Si illis applicatum est, non ergo cadunt in suo significato, sicut neque substantiae irrationales singulares in significatione huius nominis quod est individuum.

Quare cum non sit dubium quin hoc nomen 'individuum' circa substantias irrationales non est nomen rei sed nomen intentionis secundae, quae nihil aliud est quam modus quo intellectus rem concipit respectu superioris et collateralis, ut determinatam et non divisam in aliqua sub se atque divisam ab eo quod est iuxta se, non est dubium quin hoc nomen 'persona' in creaturis rationalibus non sit nomen rei, sed nomen intentionis, dicens praedictum modum individuationis circa

illa, ut non significet rem cui accedit individuatio, sed quod significet intentionem individuitatis, ut omnino idem sit dicere “Petrus est individuum” et “Petrus est persona”, et significat idem quod suppositum incommunicabile. Est enim ‘suppositum’ nomen secundae intentionis commune ad substantiam communem et singularem, et est incommunicabile commune ad singulare substantiae et accidentis, ut habitum est supra, et mutuo unum contrahit et specificat alterum. Unde quod dicitur hic ‘suppositum incommunicabile’ hoc dicit BOETHIUS in definitione personae ‘*substantiam individuum*’ sumendo ‘substantiam’ more Graecorum pro subsistentia, ‘individuum’ autem pro incommunicabili secundum quod corrigit eum RICARDUS. Quod vero dicitur ‘*naturae intellectualis*’, hoc ponitur ibi sicut subiectum in definitione accidentis secundum quod est eius passio proprie; appropriatur enim, ut dictum est, persona intellectuali naturae quemadmodum simum naso.

Et sic breviter potest quaestio ista explicari quam opiniones praedictae multum involvunt, iuxta illud quod dicit RICARDUS, IV^o De Trinitate in principio: «*Aliqui ex modernis ‘personae’ nomen sub multiplici significatione accipiunt et profundae veritatis intelligentiam quam explicare debuerant, maiore ambiguo involvunt*». Quid ergo dicemus ad auctoritates sanctorum quae clamant quod substantiam significat aut proprietatem distinctam aut utrumque simul, sicut patet inspicienti distinctionem 25^{am} I libri Sententiarum?

Et est sciendum ad nos concordandum cum aliis et cum dictis sanctorum quod licet omne nomen ubicumque ponitur in enuntiatione aliqua per se et principaliter supponit et praetendit suum significatum tamquam significatum ad quod praesentandum imponitur, tamen aliquando nomen illud supponit pro ipso significato, aliquando autem non pro significato, sed pro suo appellato vel quasi. Verbi gratia in nomine quod significat rem; ‘homo’ enim in quacumque enuntiatione ponitur, supponit humanitatem quam significat, et aliquando supponit pro ipsa, ut cum dicitur “homo est species”, aliquando vero pro appellato, ut cum dicitur “homo currit”. Dicitur enim terminus supponere pro illo pro quo locutionem natus est verificare, et pro quo alteri comparatur in enuntiatione. Similiter in nomine significante intentionem. Verbi gratia species in quacumque enuntiatione ponitur, supponit rationem universalis quae est respectus quidam et intentio quam significat. Et aliquando supponit pro ipsa, ut cum dicitur: “species est intentio rationis et universale quoddam”; aliquando vero supponit pro appellato, ut pro homine aut asino aut huiusmodi, ut cum dicitur: «species est quae *praedicatur de pluribus differentibus numero*», ubi definitur species, non ut est intentio abstracta et ut supponit pro suo significato. Sic enim non praedicatur de

differentibus numero; non enim vere dicitur: “Petrus est species”, “Paulus est species”, sed definitur ut est in re cuius est et ut supponit pro ipsa sub indifferentia quadam ad quamlibet illorum, cuiusmodi sunt homo, asinus et huiusmodi, quae praedicantur de solis individuis suis. Et multum restat loqui de eius significato ut consideratur secundum se et ut supponit pro ipso significato et ut supponit pro supposito sive appellato, aut quasi appellato si non possit dici proprie eius appellatum. Si enim consideratur secundum se et ut supponit pro suo significato, tunc significat intentionem rationis tantum a qua nomen imponitur. Si vero consideratur secundum quod supponit pro re circa quam notat intentionem, et quaeratur de suo significato large loquendo de significato ut sic supponit, sic res illa cadit in suo significato large loquendo de significato.

Descendendo igitur ad propositum dicimus quod hoc nomen ‘persona’ est per se a prima impositione nomen intentionis et significat solum rationem suppositi incommunicabilis a prima significatione a qua est impositum est solummodo circa intellectualem naturam, non ut quam significat, sed quae est de intellectu eius, quemadmodum quodam modo subiectum est de intellectu propriae passionis. Aliquando tamen potest supponere illud significatum suum quod est intentio rationis pro ipso significato, ut cum dicitur: “persona est suppositum sive hypostasis quaedam”; aliquando vero pro eius appellato vel quasi, ut pro suo quasi subiecto circa quod connotat huiusmodi intentionem, ut cum dicitur: “persona generat aut generatur, spirat aut spiratur”, “Pater est persona” aut “persona est Pater”. Et licet, ut secundum se consideratur et ut supponit pro suo proprio significato, non significat nisi intentionem rationis, tamen ut supponit pro re circa quam notat illam intentionem, si secundum hanc considerationem quaeratur de eius significato, tunc in suo significato includit rem tantum et rationem intentionis. Et hoc modo loquuntur sancti et doctores de nomine ‘personae’ cum quaerunt eius significatum. Sed sic loqui de significato est multum extendere significationem, et non sic loquitur BOETHIUS de significato ‘personae’. Unde et in definitione ‘personae’ id quod pertinet ad rationem intentionis ponitur loco generis, ut substantia individua, et id quod pertinet ad rationem rei loco differentiae, ut rationalis essentia., quemadmodum in definitione ‘propriae passionis’ id quod est suae naturae ponitur loco generis, et quod pertinet ad subiectum loco differentiae secundum artem PHILOSOPHI.

Omnia igitur argumenta super inducta concludunt secundum diversas significationes huius nominis et secundum diversos alios modos

non concludunt, sed oportet eis respondere propter diversas difficultates quas implicant.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum quod «'persona' non significat essentiam vel substantiam quia tunc 'persona' significaret in plurali in Deo essentiam sive substantiam plurificatam», dicendum quod verum est si circa illam caderet ratio singularitatis quam nomen illud exprimit. Si autem circa illam non cadit ratio illius singularitatis, hoc nullo modo oportet. Verbi gratia 'homo' singulariter dictus non est natus plurificari ut pluraliter dicatur plures homines nisi quia 'homo' singulariter supponens pro appellato exprimit rationem singularitatis essentiae in supposito, qualis est ipsius suppositi. Sicut enim iste homo est suppositum singulare determinatum, sic animalitas et rationalitas in ipso sunt determinata, ut non solum suppositum sit individuum per determinationem, sed etiam essentia tota speciei tam ex parte generis quam ex parte differentiae. Et ab hac determinatione convenit homini quod sit singulare, ut sit unus aliquis solus ab alia singularitate discretus, nec in se ipso plurificabilis. Et similiter convenit essentiae eius quod sit singulare, id est una aliqua sola ab omni alio et alia in sua singularitate discreta, ut nec in se sit plurificabilis, nec alteri supposito communicabilis. Propter quod cum plurificatur, plurificari intelligitur omne circa quod in homine cadit huiusmodi determinatio, sive fuerit suppositum sive essentia.

Nunc autem secus est in Deo circa hoc nomen 'persona', quoniam 'persona' singulariter dicta non est nata plurificari ut pluraliter dicantur 'personae', nisi quia 'persona' singulariter supponens pro quasi appellato exprimit rationem singularitatis suppositi, licet non exprimat taliter rationem singularitatis in essentia qualis est in supposito. Non enim sicut ista persona, ut puta Pater, est suppositum singulare determinatum proprietate relativa, sic et deitas. Ipsa enim quod sit singularis et singularitas quaedam, illud habet ex se et essentialiter, non per aliquam determinationem, quia nullam in se recipit, quia non habet rationem universalis secundum supra determinata. In Deo autem suppositum fit incommunicabile per determinationem proprietatis, ut licet in Deo non possint plures esse patres vel plures filii vel plures spiritus sancti, ut infra videbitur, non tamen deitas in persona ullo modo est incommunicabilis facta per aliquam determinationem, licet habet etiam ex se et natura sua quod non sit plurificabilis. Non enim possunt esse plures deitates, unde et per esse suum in supposito uno non habet quin possit alteri

communicari. Quia ergo persona in Deo rationem suae singularitatis secundum quam plurificatur non habet ex parte essentiae sicut in creaturis, sed solum ex parte suppositi et proprietatis relativae determinantis suppositum, idcirco quamquam ‘persona’ significet essentiam in Deo, plurificata tamen non significat essentiam. Propter quod dicit BOETHIUS cap.^o ultimo De Trinitate: *«Facta est Trinitatis numerositas in eo quod est praedicatio relationis, servata vero unitas in eo quod est indifferentia substantiae. Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem»*. Unde quoad rationem singularis et pluralis in nomine ‘personae’ nihil refert sive substantia fuerit una plurium sive diversae, dicente RICARDO IV^o De Trinitate cap.^o 8^o: *«Iuxta intelligentiam qua accipimus ‘personam’ in singulari, accipimus eam et in plurali, nisi quod hic plures, illic unus solus datur intelligi, ut cum dicitur ‘persona’, profecto datur intelligi aliquis unus, qui cum sit rationalis substantia, cum nominantur tres personae, absque dubio intelliguntur tres aliqui, quorum tamen unusquisque sit substantia rationalis naturae. Sed utrum sint plures an omnes una eadem substantia, nihil interest. In natura vero humana quot personae tot substantiae, et compellit quotidiana experientia de divinis similia aestimare»*. Et sequitur in cap.^o 9^o: *«Ubicumque sunt tres personae omnino necesse est ut alius sit iste et alius ille et alius tertius, ubicumque vero sunt tres substantiae, omnino necesse est ut aliud sit una, aliud altera, aliud sit tertia. Esse aliud et aliud fecit diversitas substantiarum, esse alium et alium fecit diversitas personarum»*. Propter quod diximus supra quod in divinis est hic aliquis, in creaturis vero hoc aliquid.

Ad secundum dicendum quod verum est quod non significat substantiam, aut non solam, sed utrumque aut neutrum. Et cum arguitur quod *«non significat utrumque quia tunc esset nomen aequivocum»*, dicendum quod verum est nisi significaret illa duo ut constitutiva unius quod principaliter significat, scilicet substantiam, quae est suppositum incommunicabile secundum expositionem RICARDI.

Ad tertium quod *«non significat relationem quia non significat eam in creaturis»*, dicendum quod si hoc nomen ‘persona’ intelligamus significare intentionem et secundum hoc transferri principaliter ad divina, sic magis secundum significationis rationem transferretur a creaturis in Deum quam nomina rerum, eo quod verius univocantur Deus et creatura in intentione quam in re aliqua. Et sic respondendo non habet locum obiectio, quia procedit de persona secundum quod est nomen rei. In significando enim rem non fit a creaturis principaliter nominis translatio, quoniam pure aequivoce subsistit secundum rem persona in Deo et creaturis, quia in Deo non subsistit nisi relative, in creaturis vero non nisi absolute, ut dictum est supra. Nomen autem secundum rem translatus ad divina debet idem significare in Deo et in creaturis, licet

autonomastice et modo supereminenti. Vel si omnino velimus quod, secundum quod significat rem, a creatura transfertur in Deum, dicendum quod hoc quod in Deo significat rem respectus, non autem in creatura, hoc pertinet ad eminentiorem modum sumendi 'personam' in Deo quam in creaturis, et ita quoad hoc non significat in Deo quod in creaturis, etiam in significando substantiam quae est hypostasis, quia in creaturis est persona absoluta, in Deo respectiva, ut dictum est supra. Unde non impedit hoc 'personam' propriissime accipi in Deo.

Ad quartum quod «*non significat solam relationem*» concedendum est.

Ad quintum quod «*persona est individuum rationale*, et *individuum est intentio ergo etc.*», dicendum quod eadem ratione posset concludi: "sed rationale est substantia, ergo persona significat substantiam". Et est dicendum quod praeter duos dictos modos significationis 'personae' adhuc tertia eius significatio potest assignari ex isto dicto BOETHII in Deo, quod triplex est significatio 'personae', quia proprie loquendo de significato eius, prout significatio eius appellatur illud ad quod repraesentandum per se est imposita, sic est nomen intentionis et non significat nisi intentionem quae est rationis conceptus circa rem intellectualem, qualem communiter circa quamcumque creaturam significat hoc nomen 'individuum', et habet in divinis substantiam quae est hic aliquis oblique de suo intellectu, ut dictum est, et sic est nomen intentionis tantum. Large autem loquendo de significato eius, secundum quod dicitur significare suum appellatum et id quod significatur per ipsum, quemadmodum sancti et magistri communiter solent loqui de significato eius, sic significat substantiam cum relatione secundum modum quem ponit RICARDUS, sed quasi immediate significat illum qui est hic aliquis; sed indeterminate, de cuius significatione est substantia et relatio incommunicabilis, propter quod etiam sunt de significatione personae, et sic est nomen rei tantum, et est intentio de intellectu eius circa huiusmodi rem veluti propria ei. Largissime autem loquendo de significato personae dicitur significare utrumque dictorum simul et hoc in recto, quemadmodum si 'album' significet accidens et subiectum, et sic simul est nomen rei et intentionis. Et sic loquitur BOETHIUS quando dicit quod «*persona est rationale individuum*».

Ad sextum, «*si persona significaret intentionem non rem aut substantiam, tunc Trinitas personarum non esset nisi intentionum*», dicendum quod verum est, si nullo modo aliud significaret; quod non est ita, ut patet ex praedeterminatis. Unde Trinitas est trium secundum personas in personarum proprietatibus, unitas in essentia, ut infra videbitur. Et tam essentiae unitas quam trium personarum proprietates nomine 'personae' significantur etiam cum ratione intentionis, ut dictum est.

Per idem patet responsio ad septimum.

Ultima duo concedenda sunt secundum iam determinata.

QUAESTIO 6

UTRUM ALIQUA PERSONA PENITUS ABSOLUTA SEU SUPPOSITUM ABSOLUTUM HABEAT ESSE IN DIVINIS

Circa sextum arguitur quod in Deo sit ponere unum suppositum absolutum commune tribus respectivis. Primo sic. Persona in sua significatione includit suppositum cum proprietate relativa distinctiva secundum communem et magistralem definitionem ‘personae’, quae dicit quod persona est hypostasis proprietate distincta. Hypostasis autem rationem suppositi importat, in Deo ergo est ponere rationem suppositi praeter relativam proprietatem. Sed in Deo praeter relativam proprietatem distinguentem nihil est nisi quod est commune et absolutum. Ergo etc.

Secundo sic. AUGUSTINUS dicit VII^o De Trinitate: «*Omnis essentia quae relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo*». Et sequitur: «*Quapropter si Pater non est aliquid ad se ipsum, non est omnino qui relative dicatur ad aliud*». Idem autem potest dici de Filio et Spiritu Sancto. Sunt ergo aliquid ad se ipsum, excepto illo quo relative dicuntur inter se. Hoc autem excepto non est nisi unum commune tribus, quia secundum BOETHIUM sola «*relatio multiplicat Trinitatem*»; aliquid autem ad se existens non est nisi suppositum. Ergo etc.

Tertio sic. Pater est aliquis et est Pater. Sed non eodem est aliquis et Pater, quia paternitate est Pater, non autem paternitate est aliquis, eo quod tunc Filius non esset aliquis, quia non habet in se paternitatem, nec ‘aliquis’ includit esse Patrem, quia tunc similiter ut prius, Filius non esset aliquis. Est ergo Pater aliquis, excepto eo quo est Pater quo convenit cum Filio. Sed esse aliquem est esse suppositum. Quod autem est Patri commune cum Filio non est nisi unum absolutum, quia secundum BOETHIUM et AUGUSTINUM Pater et Filius in omnibus sunt unum praeter quod ad aliquid dicuntur. Ergo etc.

Quarto sic. Dicit AUGUSTINUS VII^o De Trinitate: «*Omnis res ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus*». Ad se autem non subsistit nisi suppositum; ergo in Deo est suppositum absolutum. Absolutum non est nisi unicum in Deo ut prius. Ergo etc.

Quinto sic. Essentia divina, ut est essentia, habet rationem personae, quia ipsa est in se indivisa propter suam simplicitatem et a qualibet

alia divisa et distincta ut a qualibet essentia creata. Quod autem tale est habet rationem personae in natura intellectuali, ut patet in hominibus et angelis. Ipsa autem essentia divina, ut est essentia, est quid absolutum. Ergo etc.

Sexto sic. Intelligere in Deo, quia est de essentialibus et absolutis, secundum nostram rationem intelligendi praecedit omne relativum reale et ita omnem personam relativam; et tamen praesupponit aliquam personam intelligentem, quae non potest esse nisi absoluta communis tribus personis relativis, quia si esset relatio similiter praesupponeret suam correlationem, quia «relativa» secundum PHILOSOPHUM «sunt *simul naturae*». Ergo etc.

Septimo sic. Actus dicendi praesupponit dicentem personam, quae si esset relativa, simul praesupponeret suum correlativum, scilicet personam dictam, et ita esset antequam diceretur. Consequens est falsum. Ergo etc.

In oppositum est quoniam cum illud suppositum non est nisi naturae intellectualis, ipsum esset persona. Ergo in Deo esset personarum quaternitas, quod contra fidem est.

<SOLUTIO>

Quaestionem istam disputavimus in nostro V^o Quolibet, ex quo aliqua breviter recolligendo cum supra determinatis dicamus quod cum secundum iam determinata supra in Deo non sit ratio universalis, quare nec ratio absoluti suppositi universalis aut communis, secundum quem modum diximus iam supra suppositum esse in universalibus et singularibus, licet suppositum non habet esse proprie nisi in singularibus, ut determinatum est in praedicto Quolibet. Si ergo in eo sit ratio suppositi absoluti, illud erit singulare et unicum, quia nihil absolutum in Deo plurificatur, ut dictum est opponendo. Unicum autem absolutum in Deo non est nisi forma deitatis. Suppositum ergo absolutum in Deo non potest poni nisi in forma deitatis, circumscriptis per intellectum relativis proprietatibus. Et nihil quaerit ista quaestio nisi an circumscriptis dictis proprietatibus constitutivis trium personarum maneat in Deo aliquod suppositum unum absolutum commune illis tribus.

Est autem opinio ALIQUORUM notata super 26^{am} distinctionem Iⁱ Sententiarum, quod si tollatur pluralitas nominum quae sunt ‘Pater’ et ‘Filius’ et ‘Spiritus Sanctus’, quae imponuntur a relativis proprietatibus et distinctivis, hoc nomen ‘Deus’ significat personam quandam distinctam proprietatibus essentialibus ab omnibus aliis naturis, scilicet creaturarum, quemadmodum Iudaei quidam et gentiles intelligunt unum Deum eminentem proprietatibus eorum quae sunt.

Quod non potest stare, quoniam, ut determinatum est in praedicto Quolibet, nihil habet rationem suppositi nisi habeat rationem entis determinati. Forma enim non est suppositum ut nomine formae significatur, sed habens formam tantummodo. Habere autem formam nulli convenit nisi per determinatum modum habendi eam. Aliter enim forma esset forma tantum, ut humanitas vel asinitas, non autem habita ab aliquo sicut a supposito, veluti ab homine vel asino. Determinatio autem non potest esse in habente formam, nisi per aliquid fundatum in ipsa forma vel essentia, quod rationis alterius est quam sit forma ipsa, quia se ipsa ex ratione qua forma est nullam habet determinationem. Illa autem ratio non potest esse pure negativa, quia illa nihil determinat. Est ergo positiva absoluta vel respectiva. Non absoluta, quia cum illa non potest esse res alia addita ipsi essentiae formae, oportet quod fundetur in ipsa essentia formae, et sic ipsam essentiam formae in se determinaret, quod solum fit in creaturis et in formis creatis, non autem in forma increata, quia illimitata et indeterminabilis est, ut habitum est supra. Alio autem modo non potest constitui ratio suppositi absoluti. Si ergo in Deo sit suppositum, oportet quod constituatur per rationem respectivam in ipsa essentia fundatam, quae non significat determinationem aliquam rei secundum se consideratae, propter quod non determinat essentiam sed solum rei comparatae ad alterum secundum relativam oppositionem, quae est ipsius relati, quod est ipsum constitutum quasi ex essentia et relatione et ipsum determinatum atque distinctum, ut infra dicitur. Ablatis ergo per intellectum proprietatibus et nominibus earum, nullo modo manet in Deo ratio suppositi, nec possibile est poni in Deo aliam rationem suppositi quam relati.

Unde philosophi qui verum habebant intellectum deitatis etsi non Trinitatis personarum relativarum, praecise intelligebant eam ut quandam singularitatem absolutam indeterminatam et illimitatam, ita quod falsus et fictitius fuisset eorum intellectus, et non essentiam deitatis intellexissent sed figmenti, quod sibi in imaginatione construxissent si sub ratione suppositi absoluti eam intellexissent, quemadmodum etiam falso eam intellexissent si eam intellexissent non intelligendo eam sub proprietatibus relativis et in supposito relativo subsistenti existere;

immo, ut verius dicam, intelligendo eam existere absque relativis proprietatibus nec in supposito relativo. Unde dicit HILARIUS III^o De Trinitate cap.^o 7^o: «*Numquid nomen Dei ignorabatur? Hoc Moyses de rubo audivit, hoc Genesis in exordio creati orbis nuntiavit, hoc lex exposuit, prophetae praetulerunt, homines in huius mundi operibus senserunt, gentes etiam mentiendo veneratae sunt. Non ergo ignorabatur Dei nomen, sed plane ignorabatur. Nam Deum nemo noscit nisi confitetur et Patrem unigeniti Filium*». Et libro V^o cap.^o 17^o: «*Prius confitendus est Pater et Filius, ut unus Deus possit intelligi. Unum verum Deum non apprehendit evangelicae et apostolicae praedicationis ignara impietas*». Sicut enim naturae essentiae creaturae est ut non existat nisi in supposito absoluto et determinato per naturae participationem, sic naturae deitatis est ut non existat nisi in supposito relatione determinato.

Unde abbas IOACHIM, quia non potuit intelligere unam deitatis naturam non cointelligendo personales proprietates nisi intelligendo eam sub ratione suppositi et personae, ut in divinis salvaret personarum Trinitatem et negaret quaternitatem, quamvis concessisset «*quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint una essentia, una substantia, una natura, unitatem tamen huiusmodi non veram et propriam*» quasi unum aliquid re singulare sit in Patre et Filio et Spiritu Sancto, sed «*quasi collectivam et similitudinariam esse confessus est, quemadmodum multi homines dicuntur unus populus et multi fideles una ecclesia*». Et cecidit in haeresim Arrianam personas separando. Unde «et appellavit magistrum PETRUM LOMBARDUM haereticum, eo quod in suis *Sententiis* dixit: *Quoniam quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Unde asserit quod ille non tam Trinitatem quam quaternitatem astruebat in Deo, videlicet tres personas relativas et illam communem essentiam, quasi quartam personam, scilicet absolutam, manifeste protestans quod nulla res est quae sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nec essentia nec natura*». Et hoc ideo, quia si hoc posuisset, visum fuit ei quod necesse habebat ponere quod esset secundum se persona aliqua, quod non est verum. Est enim in personis non distincta ab ipsis, non autem persona. Et sic credit Ecclesia quod quaedam res et natura est Pater, Filius, Spiritus Sanctus, ita tres simul sunt illa natura et quaelibet trium personarum per se, ut unitas sit naturae et distinctio in personis, secundum quod haec omnia expresse habentur in principio *Decretalium*, «*Damnamus ergo et reprobamus*» etc.

Et sicut contingebat IOACHIM personas separare cum ARRIO, ne poneret personarum in Deo quaternitatem, eo quod essentiae sive naturae unitatem intelligere non potuit sine ratione personalitatis, sic contingit contrario modo SABELLIO quod personas confundeat ne negaret substantiae sive naturae unitatem, quam non potuit intelligere nisi in unica personalitate, quam ponebat esse in tribus, sicut nos

ponimus in tribus ipsam essentiam absque propria personalitate. In eo enim quod posuit unam personam absolutam in ipsa essentia, necesse habuit ponere proprietates personales relativas fundari in illa persona, sicut et nos in ipsa essentia, et ponere illam unam, sicut et nos ipsam essentiam esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ita quod proprietates illae proprias personas non distinguerent super illam personalitatem essentiae, sed quod illa una personalitas in illas se diffunderet et illae simul se in istam confunderent, ut sicut secundum ARRIUM aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, sic secundum SABELLIUM qui Pater, ille Filius, ille Spiritus Sanctus. Revera haec necesse habent ponere ponentes in Deo unam personam absolutam, quia illius esset per se agere actiones divinas et esse terminum actionum personalium, ut esset Pater quia generat, et Filius quia generatur, et Spiritus Sanctus quia procedit, ut relationes sint adventitiae ipsi personae ex actu, nullo modo rationes eliciendi vel terminandi actus; et esset ille qui generat, ille qui generatur, et spirans qui spiratur et generaret et spiraret se ipsum, quod catholici inducunt tamquam inconveniens et absurdum contra Sabellium.

Nos igitur Scyllam vitantes atque Charybdim, mediam viam inter duas pestes teneamus, dicendo quod in divinis est essentia una, singularitate essentiae communis tribus personis, ne personas dividamus sicut Arrius, non singularitate personae, ne ipsas confundamus sicut Sabellius.

<AD ARGUMENTA>

Quod ergo arguitur primo in oppositum quod «*persona est hypostasis proprietate distincta*», dicendum quod non definitur ibi generaliter persona ut consideratur in sua generalitate sive communitate, prout habet inveniri in omnibus rationalibus et intellectualibus, sed specialiter ut habet esse in Deo. Et hypostasis stat ibi in illa generalitate ut convenit omni substantiae individuae subsistenti more Latinorum, sive fuerit intellectualis sive non-intellectualis. Unde non includit determinatam rationem distinctionis, sive per essentiae sive per naturae determinationem, ut contingit in creaturis, sive per relativas proprietates, ut contingit in divinis, secundum modum supra determinatum. Persona autem divina includit determinatam rationem distinctionis, scilicet per relativam proprietatem. Et sic in ista definitione personae divinae, cum dicitur quod est hypostasis proprietate distincta, li 'hypostasis distincta' in illa definitione est quasi genus, li 'proprietate' – subintellige relativa – quasi differentia. Et sic hypostasis supponit ibi ut commune secundum

rationem et intentionem, non autem ut aliquid commune secundum rem <et> esse, quemadmodum est essentia, quod tamen supponit argumentum. Aliter enim non esset intellecta una persona absoluta manens, subtractis proprietatibus.

Ad secundum quod «*relative* dictum est ad *aliquid excepto relativo*», dicendum quod intellectus istius dicti est quod omne quod relative dicitur, praeter rationem respectus quo relative et ad aliquid dicitur, est aliquid in re absoluta in quo fundatur ille respectus. Sed ex parte eius quod dicitur ad aliquid, sciendum quod potest habere suppositionem simplicem per essentiam vel personalem pro supposito. Primo autem modo sumitur in dicto AUGUSTINI, et sic Pater in divinis est aliquid, id est divina essentia, quae est aliud quid ab essentia creata excepto relativo, hoc est <praeter> rationem respectus sive relationis, quae formaliter imponitur nomine paternitatis. Secundo modo procedit argumentum non secundum intentionem AUGUSTINI.

Ad tertium quod «*Pater alio est aliquis, alio est Pater*», dicendum quod falsum est; quemadmodum non est alio persona, alio ista persona Patris, licet persona supponat indeterminate pro eo quod supponit determinate persona Filii, Patris et Spiritus Sancti. Et significat communiter intentionem illam quam significat determinate quaelibet illarum, secundum quod patet ex supra determinatis. Et quod arguitur quod «*paternitate est Pater, non autem paternitate est aliquis, quia tunc Filius non esset aliquis*», dicendum quod paternitate est Pater determinate, sed aliquis indeterminate. Propter quod non sequitur quod «*Filius non est aliquis*», quia sua filiatione est aliquis indeterminate. Et non sequeretur «*Pater paternitate est aliquis, ergo Filius non est aliquis*», nisi 'aliquis' diceret aliquid determinatum. Non sequeretur ergo illud quod ulterius concluditur.

Ad quartum quod «*Deus ad se ipsum subsistit*», dicendum quod cum secundum AUGUSTINUM VII^o De Trinitate, unde argumentum assumptum est, «*ab eo quod est subsistere 'substantiam' dicimus*», et 'substantiam' secundum praedicta possumus accipere secundum morem Latinorum pro essentia, vel secundum morem Graecorum pro subsistentia, similiter 'subsistere' dupliciter potest accipi: uno modo ut ab eo dicitur substantia quae est essentia, alio modo ut ab eo dicitur substantia quae est subsistentia. Primo modo idem est Deo esse quod subsistere, et ad se ipsum Deus subsistit non relative; iam enim, ut concludit, substantia non est substantia sed relativum. Et hoc modo loquitur ibi AUGUSTINUS de 'subsistere'. Secundo autem modo non est idem Deo esse quod subsistere, sicut non est idem esse et Patrem esse. Et hoc modo relative subsistit, non ad se, sicut et relative est persona, non ad se.

Ad quintum dicendum quod essentia divina, ut essentia est, non potest habere rationem personae, quia persona unde persona habet rationem incommunicabilis et esse determinati in sua singularitate. Non sic autem essentia, sub ratione qua est essentia simpliciter, habet quod sit esse determinati et incommunicabile quid, immo omnis essentia, ut simpliciter essentia est, communicabile quid est pluribus suppositis; licet in Deo secundum rationem esse indeterminati singularis, in creaturis vero sub ratione esse indeterminati universalis, quamvis essentia deitatis, quia ex se singularis est, potius ex se videatur habere rationem personae quam essentia creata, quia ex se universalis est. Sive enim essentia sit singularis sive universalis, nihil refert ad non esse personam, dum tamen ipsa ex se sit communicabilis sive substantiae singularitate sive in pluralitate, quia illa sola ratio quae confert incommunicabilitatem in natura intellectuali, confert personalitatem. Unde ad formam argumenti dicendum quia indivisio duplex est et similiter divisio sive distinctio, sicut et duplex unitas et pluralitas, scilicet essentialis et personalis. Licet ergo essentia divina, ut essentia est, in se est indivisa et a qualibet alia divisa, quia illa divisio est essentialis et similiter indivisio, non autem personalis, quia non est penes rationem incommunicabilis, ut dictum est, idcirco non oportet quod divina essentia, in quantum est essentia, habeat rationem personae.

Ad sextum quod «*intelligere, quia est de absolutis, praecedit omne relativum reale et personale*» etc., dicendum quod secundum rationem nostram intelligendi illud est prius quod simpliciolem et absolutiorem intellectum de se format. Et sic universaliter absolutum, in quantum absolutum, prius est relativo quod includit illud absolutum, quemadmodum persona includit essentiam. Si autem relativum non includit secundum intellectum suum intellectum absoluti, non oportet, ut contingit in proposito. Unde distinguendum est de absolutis in Deo, quia quaedam significant per modum habitus, quaedam per modum agere sive actus. De illis quae significant per modum habitus, universaliter verum est quod praecedunt omnem relationem. Non autem verum est de illis quae significant per modum agere, ut sunt intelligere et velle; immo illa praesupponunt suppositum relativum, non ab alio existens, cui primo secundum rationem convenit intelligere et velle. Nec tamen simul praesupponunt suum correlativum quoad actum intelligendi, neque similiter quoad actum dicendi, de quo processit ultimum argumentum, licet quoad actum nostrum intelligendi.

Est ergo sciendum ad dissolutionem huius assumpti in utroque argumento quod relativum potest considerari ut relativum simpliciter et ut comparatur ad actum intelligendi passive cuiuscumque, vel ut est

pertinens ad originem et comparatur ad actum originandi sive active sive passive. Primo modo verum est quod sunt simul natura, hoc est naturali intelligentia, quia unum sine altero intelligi non potest, immo unum est ratio intelligendi alterum. Secundo autem modo unum potest esse prius altero in quantum actus originatur ab uno et terminatur in alterum, et hoc secundum modum quo secundum rationem nostram prius et posterius cadunt circa ordinem originis, de quo infra erit sermo amplior. Sed mediante actu intelligendi et dicendi 'prima persona dicens et intelligens' simul dat intelligere suum correlativum, ut infra magis declarabitur.

QUAESTIO 7

UTRUM PERSONA IN DEO SIGNIFICET ALIQUID COMMUNE

Circa septimum arguitur quod persona non significat aliquid commune in divinis. Primo sic. Non est communitas nisi aliqua unitas pluribus conveniens. Plures non sunt in divinis nisi tres personae; sed persona non est aliquod unum tribus conveniens, quoniam in personarum litate differunt. In eo autem in quo aliqui differunt, unitatem et convenientiam non habent. Ergo etc.

Secundo sic. Commune univocum est verum universale ad illos quibus est commune. 'Persona' autem divinis personis convenit univocum, quia secundum idem nomen et secundum eandem rationem assignatam a BOETHIO et correctam a RICARDO, ut dictum est. Ergo si persona est commune tribus personis, est aliquod verum universale in divinis, cuius oppositum determinatum est supra.

In contrarium est illud quod dicit AUGUSTINUS, VII^o De Trinitate: «*Propterea dicimus tres personas, quia commune est eis id quod est personarum.*»

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod triplex est communitas: quaedam rei purae, quaedam rationis purae, quaedam vero media partim rei partim rationis. Primo modo est communitas solius essentiae et attributorum essentialium tribus personis. Et secundum hanc communitatem dicitur quod Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Et haec est remotissima a ratione universalis, quia in unitate rei singularis fundatur; non sic autem communitas universalis.

Communitas tertio modo dicta est communitas relationis tribus personalibus relationibus quae sunt paternitas, filiatio, spiratio; quae relatio est unum praedicamentum in divinis, non solum ratio praedicamenti. Secundum hanc enim communitatem dicimus quod paternitas est relatio, filiatio est relatio, spiratio est relatio. Et quasi in concreto dicimus quod Pater est relativum, Filius est relativum, Spiritus Sanctus est relativum. Et haec communitas magis appropinquat universali quam praecedens, quia non consistit in unitate relationis singularis, sed quasi in abstracta a tribus relationibus singularibus realibus praedictis. Nec tamen in ea est vera ratio universalis, quia non sunt in ipsis tres realitates in fundamento suppositorum sed unica tantum, quia in una re singulari, quae deitas est, fundantur, ut infra patebit. Et universale verum debet habere diversam realitatem in suis suppositis, secundum quod de hoc habitum est satis superius. Propter quod dicta est ista communitas, partim rei, partim rationis, licet non sit in ea vera universalitas. Quomodo autem illae tres relationes dicuntur reales et quodam modo tres res, non solum propter realitatem naturae et essentiae quae est earum fundamentum, sed propter realitatem hypostasum quas constituunt, videbitur inferius.

Communitas autem secundo modo dicta est communitas illa quae est in nomine personae. Sed hoc ponunt diversi diversimode. QUIDAM enim dicunt quod communitas personae est secundum negationem, sicut est communitas individui ad Petrum et ad Paulum, quia scilicet non capit essentia singularis eorum partitionem in plures, sicut capit essentia humanitatis simpliciter in humanitatem huius et illius, secundum quod supra tactum est. Sed hoc non est verum quod persona in divinis non consistit in pura negatione, etiamsi non significaret nisi intentionem sicut significat individuum; immo fundatur in creaturis etiam in ipsius naturae communis positiva determinatione et in divinis super relationes divinorum suppositorum, ut praedictum est.

Ideo aliter respondendum, et alio modo ponendo personam significare substantiam vel essentiam, alio vero modo ponendo ipsam

significare intentionem. Ponendo vero personam significare substantiam vel essentiam, QUIDAM aspiciunt in ponendo eius communitatem ad naturam relationum quae sunt personarum constitutivae, QUIDAM vero ad ipsas personas sive hypostases singulares constitutas. Ad communem vero essentiam non potest fieri aspectus, quia «tenet *unitatem* et non *multiplicat Trinitatem*», secundum BOETHIUM, sine qua multiplicatione non est personae communitas, ut dictum est iam supra secundum RICARDUM.

Secundum primum modum dicunt ALIQUI quod ibi est communitas in re relationum quae sunt constitutivae personarum, super quas est ibi – ut dictum est – *communis ratio relationis* ad paternitatem, filiationem et spirationem, et illam dicunt significari nomine personae, sicut *speciales relationes* significantur nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti et ideo personam communem esse ad Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, sicut est relatio simpliciter communis ad paternitatem, filiationem et communem spirationem.

Sed hoc non potest stare quoniam, ut dictum est secundum RICARDUM supra, nomen personae non significat nisi singulare unicum in se et indistingubile in se et distinctum a quolibet alio, et quod tale nullam rem communem significat. Unde si ita esset, ut dicunt, tunc non esset communitas alia a praedicta cum dicitur “Pater est persona”, “Filius est persona”, “Spiritus Sanctus est persona”, quam illa quae praedicatur cum dicitur “Pater est relativum”, “Filius est relativum”, “Spiritus Sanctus est relativum”. Quod falsum est, quia esse relativum simpliciter nullam rationem distinctionis importat, sicut importat nomen personae. Et revera si ‘persona’ proprie et per se significatione prima et absoluta diceretur significare substantiam quae est hypostasis aut relativum, tunc non posset esse commune ad tres hypostases relativas nisi significando communem relationem ad illarum relationes, aut nihil omnino reale quod est commune intelligitur nomine personae, quod proculdubio verum est.

Ideo ponentes quod persona significat substantiam vel essentiam ponunt communitatem eius absque significatione alicuius communis. Magister GERARDUS LAPUCELLE, qui ponens quod «*persona significat essentiam, non gratia sui, sed gratia suppositorum, ita* quod supponat *pro* personis *non pro* essentia», ut expositum est supra, ratione huius suppositionis, dicit quod «pluraliter accipitur, et tamen substantiam significat in plurali sicut in singulari, et ita quod communitas eius non est in significatione sed in sua suppositione». Et arguit contra eum PRAEPOSITINUS sic: «*hoc nomen ‘Deus’, etsi aliquando supponit pro persona aliquando pro essentia, tamen ubi supponit pro persona in quantum supponit pro persona, non supponit pro*

essentia». Ubi ergo supponit pro qualibet persona eandem communitatem habet cum persona et potest in plurali praedicari de tribus sicut et persona. Quod non est verum; non ergo est illa ratio sufficiens.

RICARDUS vero consequenter dicens opinioni suae praepositae diceret quod persona non dicit aliquod commune ad tres per significationem, sed solum per indeterminationem, quia non significat nisi aliquod unum qui est distinctus ab omnibus. Cuius ratio in quantum huiusmodi communis esse non potest, nisi quia non determinat aliquod talium significatum personae neque in singulari neque in plurali quantum est ex parte significati, sed in singulari significat aliquem talem, in plurali vero aliquos tales. In quo concordat SIMON TORNACENSIS qui dicit, ut recitat PRAEPOSITINUS, quod *«gratia consignificationis hoc nomen 'persona' transit ad pluralitatem, ut dicatur Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt personae, id est sunt unum et per se, id est distincti, ut hoc pronomen 'se' sit pluralis numeri et masculini generis»*, sicut in singulari Pater est persona, id est unum per se, id est distinctus, ut li 'se' sit masculini generis; sed nomine personae in singulari intelligitur singulariter, in plurali pluraliter. Et redit, quoad istam communitatem, haec positio in idem cum positione dicentis quod persona non significat nisi essentiam et supponit pro hypostasi, ita quod si non ponatur aliquid aliud de significato personae quam essentia aut relatio distinctiva aut hypostasis singularis, in illo communi nihil est quod commune est tribus nisi sola vox personae.

Dico secundum quod sumatur ista communitas, quia ex parte essentiae communis, ut dictum est, sumi non potest. Et sic esset sola communitas aequivocationis quod non apparet esse concedendum. Unde videtur esse recurrendum ad positionem dicentem quod persona de significato suo absoluto nomen est intentionis secundae secundum praedictum modum, quamvis non supponat nisi rem quae est suppositum singulare, sub illa indifferentia quam ponit RICARDUS, ut dictum est. Et est illa intentio ratio qua intellectus concipit suppositum reale, quod est hypostasis, significatum nomine rei, ut est Pater Filius in divinis, Petrus Paulus in creaturis. Concipit, inquam, ut distinctum per se a quolibet. Et consistit ista intentio in respectu quodam et modo se habendi huiusmodi rei in comparatione et respectu ad essentiam communem et ad quodlibet aliud quod consimilem habet distinctionem, sive in una essentia singulari ut contingit in divinis, sive in una essentia specifica ut contingit in hominibus, sive in pluribus essentiis specificatis ut contingit in hominibus et angelis.

In omnibus enim istis nomen personae quasi eiusdem intentionis est, nisi quod ab absoluto sumitur in creaturis et a respectivo in divinis.

Unde quia ratio talis intentionis consistit in quadam comparatione, sicut et aliarum intentionum generis et speciei, ideo communitas intentionis quodam modo est communitas proportionis. Est enim Petrus individuum et persona sicut Paulus, quia eodem modo se habet ad speciem suam et ad suum condivisum, et sicut Paulus, et consimili modo dicitur homo esse species sicut asinus, et quantitas genus sicut qualitas, et hoc propter similem comparationem ad sua inferiora. Et sic in nomine personae ex parte significati nihil potest sumi commune secundum quod distinguitur in contenta nisi ratio intentionis, quae in sua communitate nihil rei habet extra, sed solum consistit in conceptu intellectus. Nec habet rationem universalis realis, sed intentionalis tantum, licet consideretur circa rem et habet rationem accidentis non existentis in re, sed solum in conceptu intellectus. Propter hoc non est inconveniens si ponamus quod habeat rationem universalis veri intentionalis, licet ratio universalis realis nullo modo ponatur in divinis. Illud etiam, quia est quodam modo in re, aliquam compositionem poneret in Deo, quod non facit istud, quia solum ponitur in conceptione intellectus.

Sed est advertendum quod huiusmodi intentionem universalem contingit quandoque ad aliquid comparari velut ad subiectum circa quod consideratur, ut persona ad Patrem et Filium, ad Petrum et Paulum, et species ad hominem et asinum, et genus ad quantitatem et ad qualitatem. Et habet talis intentio quasi rationem speciei specialissimae continentis quasi individua, cuiusmodi sunt haec persona Petri, illa persona Pauli, haec species hominis, illa species asini, hoc genus quantitatis, illud genus qualitatis. Quandoque vero contingit comparari ad aliquid velut ad aliam intentionem sibi sumptam, de qua praedicatur tamquam genus de speciebus, ut facit haec intentio universale de hac intentione quae est species et illa quae est genus.

Unde in proposito ratio personae est quasi speciei specialissimae intentio circa subiectum continens quasi particulares intentiones circa subiecta particularia, ut sunt haec persona vel illa. Sed in nomine ‘persona’ non est intellectum aliquid circa quod consideratur nisi indeterminate, iuxta supra determinata secundum RICARDUM. Et per istam communitatem intentionis alia est communitas qua homo praedicatur de Petro et Paulo, alia qua persona praedicatur de eisdem. Nec habet persona aliam communitatem in divinis. Et ad ipsam exprimendam primo fuit hoc nomen ‘persona’ translatum ad divina, quia alia communitas haberi non potuit quae plurificari posset de tribus et esse substantivum huius adiectivi ‘tres’, secundum quod dicit PRAEPOSITI-NUS. *«Cum enim Scriptura dicat Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres, quaerebatur quid vel qui tres. Et forte poterat dici ‘tres res’, sed quia hoc vocabu-*

lum nimis est commune, oportuit invenire aliud vocabulum minus commune quod posset iungi huic vocabulo 'tres' et translatum est hoc nomen 'persona' et responsum est 'tres personae', ut ait AUGUSTINUS, non ut diceretur sed ne taceretur, id est ut non plene responderemus sed ne omnino taceremus». Ut enim dicit, VII^o De Trinitate: «Loquendi causa de ineffabili, ut fari aliquo modo possemus et effari nullo modo possumus, dictum est a Graecis una essentia tres substantiae, a Latinis autem una essentia vel substantia tres personae. Cum enim quaeritur quid tria vel quid tres, conferimus nos ad inveniendum aliquod speciale vel generale nomen a quo contemplamur haec tria neque occurrit animo, quia excedit supereminetia deitatis usitati eloquii facultatem». «Pater ergo et Filius et Spiritus Sanctus, quoniam tres sunt, quaeramus quid tres sunt, quid commune habent. Si enim tres personae, commune est eis id quod est persona, alioquin nullo modo possunt ita dici». «Sed dicimus tres personas, quia volumus vel unum aliquod vocabulum servire huic significationi qua intelligitur Trinitas», id est quod significat aliquid commune tribus sub qua communiter intelliguntur illi tres.

Et non est nisi dicta communitas rationis, quam investigat AUGUSTINUS ibidem, removendo a natura personae omnem communitatem realem, ut patet in cap.^o 6^o. Et est responsio qua respondetur “tres personae”, non satisfaciens interrogationi sed interroganti tantum: cum enim quaerebant “qui tres?”, intentio eorum erat sibi responderi rem aliquam communem illis uno nomine significatam quod communiter de illis in plurali ut subiectum illi adiectivo ‘tres’ praedicaretur, quemadmodum cum dicitur “tres sunt currentes”, et quaeritur “qui tres?” et respondetur “homines”, et ulterius “qui homines?” et respondetur “Petrus”, “Servatius”, “Ioannes”. Tale nomen in divinis inveniri non potuit. Unde quia nihil potuit eis esse commune nisi intentio personae, nec satisfacit interrogationi nec intentioni interrogantis, sed solum pertinaciae haereticorum, quia non habebant ultra quid quaerent, quemadmodum si quaereretur Petrus, Paulus, Ioannes, “qui tres?” Et respondeatur “tres personae”. Unde si cum ista communitate intentionis intelligatur communitas indifferentiae secundum positionem RICARDI responderi, tunc plenissime satisfit interrogationi et interroganti quantum possibile est.

Nec tamen ista responsio dicendo “tres res”, nec illa dicendo “tres personae”, sive persona intelligatur supponere pro intentione sive pro suppositis singularibus sub indifferentia, satisfecit omnino interrogationi similiter et interroganti, quia interrogatio petebat et intentio interrogantis de substantivo substantiae illius adiectivi ‘tres’, intendendo substantiam illam plurificatam responderi, et plurificationem illam determinari circa ipsam per illud adiectivum ‘tres’, ita quod quoad hoc nihil aliud quaerebatur per quid quam per qui, sed solummodo quoad

hoc quod ‘quid’ quaerebat de substantia plurificata absolute et sub ratione essentiae, ‘qui’ vero de substantia plurificata in suppositis. Unde quia talis substantia sive essentia in divinis non habet reperiri, falsum supposebat quaestio in divinis, et ideo interrogationi non erat respondendum nec satisfaciendum, quia impossibile erat. Nec similiter intentioni interrogantis, quia ipsa similiter falsum supposebat in divinis, sed solum erat satisfaciendum pertinaciae eius quantum possibile fuit. Unde dicit RICARDUS, IV^o De Trinitate cap.^o 5^o: *«Qui nomen personae primo ad divina transtulerunt hoc ipsum ex necessitate fecerunt ut haberent quid responderent quaerentibus quae tria, tres illi in Trinitate essent, cum tres deos esse respondere non possent»*.

Est tamen hic advertendum quod ipsam interrogationem non oportet ponere supposuisse falsum quantum erat ex se, sed solum quantum erat ex intentione interrogantis, quoniam quantum erat ex se, neutram interrogationem oportet supponere falsum, quoniam interrogatio utraque, quantum est ex parte eius quod est tres, non habet necesse supponere nisi ternarium suppositorum, et per quid intelligatur quaeri de alio quam de essentia et quidditate illorum simpliciter, nec magis supponit eam triplicatam quam simplicem et unicam. Unde sive respondendo explicetur essentia triplicata, sive simplex et unica, responsio satisfacit interrogationi. Unde interrogatio per quid non intendit nisi illi tres quid sunt in substantia et sufficientissime respondetur dicendo “Deus”; per ‘qui’ autem non est necesse quod intelligatur quaeri de alio quam de proprietatibus suppositorum in quibus non magis substantiam triplicatam quam unicam oportet intelligi. Unde non oportet in respondendo exprimere essentiam, sed satisfit interrogationi, si Trinitas personarum respondeatur. Unde interrogatio per ‘qui’ non intendit nisi illi tres qui sunt in suppositis, et sufficientissime respondetur exprimendo sub propriis nominibus, et dicendo “Pater, Filius et Spiritus Sanctus”, vel sub uno nomine communi tribus quod continet intellectum trium, sive significat illa principali significatione, licet sub indeterminatione – ut ponit RICARDUS – sive non, sed solum intentionem communem et supponendo pro illis, dicendo “personae” vel “tres res”.

Nec differt sic respondere vel sic, nisi quod nomine personae habetur intellectus trium sub quadam indeterminatione et indifferentia absque significatione alicuius realis communis ad illos, sicut habetur hoc nomine ‘res’ quod pluraliter praedicatur de tribus. Sed persona addit rationem communis intentionis, et ideo melius respondetur dicendo “tres personae” quam dicendo “tres res”, quia quaestio est de suppositis singularibus et secundum interrogantis intentionem ut sint sub aliquo communi, neque quod est essentia, neque quod est relatio, neque quod

est intentio, et maxime quod de se suppositionem suam non habet determinatam ad supposita singularia. Unde ut satisfaceret omnino interrogationi et pertinaciae interrogantis, quantum possibile erat, maxime cum interrogatur per quid, responsum est nomine personae quod habet determinatam suppositionem pro suppositis singularibus, et cum hoc communem intentionem significat; licet nec de illa fuit intentio interrogantis, nec virtus interrogationis, et tale est hoc nomen 'persona'. Propter quod dixit AUGUSTINUS, VI^o De Trinitate: «*Volumus vel unum aliquod vocabulum servire huic significationi qua intelligitur Trinitas ne omnino taceremus interroganti quid tres cum tres esse fateamur*». Est autem illa significatio intentionis communis in nomine 'persona', qua non significatur Trinitas, sed intelligitur, ut dictum est.

<AD ARGUMENTA>

Ad illud ergo quod arguitur primo quod «*persona non significat aliquid commune in divinis quia in nomine personae non significatur aliquid unum commune tribus*», dicendum quod verum est, non tamen per hoc excluditur quin persona sit commune quid ad tres, scilicet suppositive, ut dicit opinio magistri GERARDI LAPUCELLAE; vel quaedam indifferentia, ut dicit RICARDUS et SIMON TORNACENSIS similiter, ut patet ex praedictis.

Ad secundum quod «*commune univocum est universale*», dicendum quod verum est de univoco unitate rei, non autem de univoco unitate propositionis qualis est in nomine intentionis, ut dictum est; quemadmodum non dicuntur univoce rector qui in civitate et qui in navi. Et de tali communitate loquitur AUGUSTINUS cum dicit quod «*persona est commune*».

QUAESTIO 8

UTRUM SINT PLURES PERSONAE IN DEO

Circa octavum arguitur quod in Deo non sit ponere plures personas. Primo sic. De quibus nomen speciale pluraliter potest enuntiari, et generale, sive illud speciale fuerit nomen rei sive nomen intentionis, «*veluti cum Abraham, Isaac et Iacob sunt tres homines et tria animalia, seu cum sint tria individua hominis vel animalis et tres homines vel tria anima-*

lia», secundum AUGUSTINUM VII^o De Trinitate cap.^o 6^o. Deus et persona se habent in divinis sicut generale et speciale. Est enim Deus quid commune ad personam, sive persona sit nomen rei sive nomen intentionis. Si igitur in Deo Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt plures personae, et plures dii. Consequens falsum est. Ergo etc.

Secundo sic. BOETHIUS dicit, libro I^o De Trinitate cap.^o 4^o: In Deo «*nulla est ex diversitate pluralitas*». Sed non est pluralitas personarum nisi ex aliqua earum diversitate, quia ubi est omnino identitas, perfecta est unitas, et ita nulla omnino pluralitas. Ergo etc.

Item ibidem: «*ubi nulla est differentia, nulla omnino est pluralitas, quare nec numerus, sed unitas tantum*». Haec maxime contingunt in Deo, ergo in Deo nullus est omnino numerus. Sed non est personarum pluralitas sine omni numero. Ergo etc.

Item, quaecumque in aliquo sunt unius et eiusdem rationis, uno non multiplicato nec alterum poterit multiplicari. Persona et esse in Patre et Filio et Spiritu Sancto sunt unius et eiusdem rationis, dicente AUGUSTINO, VII^o De Trinitate cap.^o 6^o: quod «*hoc est illi esse quod personam esse*»; quare cum esse non plurificatur in Patre et Filio et Spiritu Sancto, nec persona. Ergo etc.

Item. Simplicitas sequitur unitatem, ut habitum est supra, ubi ergo maior unitas et maior simplicitas. Sed maior est unitas ubi cum unitate essentiae est unitas personae quam ubi est pluralitas personae, ergo et maior simplicitas. Sed in Deo summa posita est simplicitas. Ergo etc.

In contrarium arguitur. In quo est ponere personarum alietatem et pluralitatem, quia non est alietas nisi ex pluralitate. In Deo est ponere personarum alietatem, secundum quod dicitur in symbolo Athanasii: «*Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*». Ergo etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc, quod cum secundum praedeterminata in Deo non sit ponere personam penes aliquam rationem absolutam accipiendam, sed solummodo penes relationem sive proprietatem relativam, et hoc non quamcumque sed solummodo per illam qua ordinatur persona ad actum emanationis ut a qua emanat id quod procedit, vel ut quae per emanationem procedit, quae non est nisi relatio pertinens ad originem, quae etiam in Deo non est accipienda ad aliquid extra ut ad creaturam, quia relatio Dei ad creaturam est secundum dici tantum et quasi accidentalis, ratio autem personalitatis essentialis est ei cuius est. Proprietas autem relativa numquam est singulariter sive unica et solitaria.

Plures ergo debent esse in Deo proprietates relativae penes quas accipitur ratio personae in ipsis, et ideo necessario in Deo sunt plures personae ponendae, ut sic in Deo cum unitate in substantia, de qua tractatum est supra, necesse sit ponere pluralitatem in personis. Quod bene ostendunt AUGUSTINUS et HILARIUS auctoritate Sacrae Scripturae, ut pertractat MAGISTER, libro I^o *Sententiarum* distinctione 2^a cap.^o 'Personarum quoque pluralitatem'. Sed unitati substantiae contrariatur dividens substantias, ponendo tot substantias in divinis quot personas. Distinctioni autem personarum contrariatur Sabellius ponens unum suppositum absolutum et illud esse Patrem cum generat et Filium cum generatur et Spiritum Sanctum cum procedit, secundum quod tactum est supra. Et procedit dicta ratio ponendi plures personas in Deo a ratione formali propria personae constitutiva.

Sed RICARDUS, III^o libro *De Trinitate*, sumit ad idem alias rationes a rationibus communibus quasi consequentibus esse personae iam constitutae, quarum primam accipit in cap.^o 2^o ex ratione perfectae bonitatis sive amoris aut caritatis quam necesse est ponere in Deo. Quae talis est: *«in Deo est totius bonitatis plenitudo atque perfectio cui vera et summa caritas deesse non potest. Nullus autem pro privato sui ipsius amore dicitur proprie habere caritatem. Oportet namque ut amor in alterum tendat ut caritas esse quaeat»*. Oportet ergo ut in Deo sit unus et alter, et ita plures personae, ut caritas perfecta in ipso esse possit. Non enim potest dici quod illam habeat ad creaturam, eo quod non est summe diligibilis, secundum quod pertractat ibidem.

Secundam vero rationem accipit in 3^o cap.^o ex ratione summae felicitatis et iucunditatis quam similiter necesse est ponere in Deo. *«Sic in plenitudine summae felicitatis non potest deesse illud quo nihil est iucundus; non potest esse amor iucundus nisi sit mutuus»*. Quia, ut cap.^o 16^o: *«intimae caritatis deliciae hauriuntur ex corde alieno»*. *«In amore autem mutuo oportet ut sit et qui amorem impendat et qui amorem rependat. Ubi autem unus et alter esse convincitur, vera pluralitas depraebenditur»*; igitur etc.

Tertiam accipit ex ratione summae benevolentiae, cap.^o 4^o, sic: *«Si tantum unica esset persona in deitate, non haberet cui communicaret suam abundantiam, et hoc aut quia communicantem habere non possit cum velit, aut quia nolit cum possit. Sed proculdubio omnipotens per impossibilitatem excusari non potest. Nec etiam per defectum benevolentiae, quia hoc esset defectus in ipso»*, ut manifeste pertractat; igitur etc. Nec est in hac veritate scrupulus aliquis dubitationis nisi quia, ut dicit ibidem cap.^o 9^o, *«miratur homo quomodo possit esse plus quam una persona ubi non est plus quam una substantia»*. Sed hunc scrupulum redarguit a contrario: cum videmus quod in homine ubi est *«plus quam una substantia, non tamen est plus quam*

una persona», cum tamen illae substantiae sint tam diversae, sicut corpus et anima, ut pertractat cap.º 10º. Et dicit libro IVº cap. 10º: «Sicut esse substantialiter aliud et aliud non tollit ubique unitatem personae, sic esse personaliter aliud et aliud non scindit ubique unitatem substantiae. Nam in humana» etc.

Alia autem ratione ostenditur pluralitas personarum in Deo, scilicet ratione originis et modi emanandi unam personam ab alia. Cum enim ratio originis vel emanationis necessario ponenda est in Deo, ut infra videbitur, ratio autem originis seu emanationis non est nisi unius personae ab alia, et ita non nisi plurium. Dicit enim HILARIUS, Iº De Trinitate cap.º 9º: *«Deo ex Deo nato neque eundem nativitas permittit esse neque aliud»*; hoc est, nec eundem in persona, nec aliud in substantia. Idcirco necesse est ponere in Deo esse plures personas. Et secundum hoc dicit RICARDUS, libro IVº cap.º 13º: *«Existentia tribus modis potest variari, aut secundum solam rei qualitatem, aut secundum solam rei originem, aut secundum utriusque concursione. Secundum solam rei qualitatem variatur existentia quando pluribus personis est una eademque origo per omnia singula propria substantia. Plures namque substantiae non possunt esse sine differenti qualitate». «Secundum solam originem differunt, si unus originem habet, alter origine caret, vel si originem habentium origo unius differt ab origine alterius. Tam secundum qualitatem quam secundum originem variatur existentia ubi singulis personis est singularis substantia et propria origo diversa»*. Et tunc sequitur, cap.º 14º: *«In humana natura personarum existentia tam secundum qualitatem quam secundum originem variatur. In angelica vero natura nulla est propagatio sed sola simplex creatio; idcirco oportet qualitate differre»*. Et sequitur cap.º 15º: *In divinis autem «nullo modo possunt aliqua qualitatis differentia ab invicem differre. Relinquitur ergo ut dicantur iuxta modum originis aliquam differentiam habere. Nam ubi nulla est differentia, nulla pluralitas esse potest»*.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod *«Deus et persona in divinis se habent sicut generale et speciale, ergo etc.»*, dicendum quod differunt esse commune et esse generale aut speciale, quia omne generale et speciale est commune sed non e converso. Non est enim generale aut speciale nisi quod est commune secundum diversitatem naturae subiectae in subiectis, ut est animal in homine et asino, et homo in Isaac et Iacob. Est autem commune aliquid in identitate naturae, etsi sit in diversis suppositis, ut est deitas in personis divinis, et similiter ratio personae simpliciter in singulis personis. Sed aliter deitas est commune, aliter persona, quia deitas secundum unam et eandem rationem et naturam deitatis commu-

nis est pluribus, persona autem non nisi secundum aliam et aliam rationem personalitatis. Et commune primo istorum modorum nullo modo habet rationem universalis neque generalis aut specialis. Commune vero secundo modo, et similiter primo principali habet rationem universalis et generalis aut specialis, secundum quod determinatum est supra in quaestione de communitate personae. Et verum est in talibus quod de quibus nomen speciale potest pluraliter enuntiari, et generale. Sed sic non est Deus in divinis simpliciter commune generale aut speciale ad personam, quia eiusdem communitatis est quoad subiecta Deus et persona simpliciter, licet alio et alio modo, ut iam dictum est. Et propter illum modum communitatis alium et alium pluraliter persona praedicatur de Patre et Filio et Spiritu Sancto, sed non Deus aut deitas sive divina essentia. Per quod patet proluxa pertractatio huius materiae, VII^o De Trinitate AUGUSTINI, maxime 4^o et 6^o cap.^o

Ad secundum dicendum quod diversitas sumitur proprie vel large. Proprie enim notat alietatem in substantia sive essentia; large autem notat solam distinctionem et alietatem secundum respectus relationum. Primo modo nulla est in Deo ex diversitate pluralitas; est tamen secundo modo. Propter quod dicit AUGUSTINUS, VII^o De Trinitate, quod dicendo tres personas, istis «*nominibus intelligi Ecclesia non diversitatem voluit, sed singularitatem noluit*».

Per idem patet ad tertium, quia ubi nulla est diversitas omnino, nec primo modo nec secundo, ibi nulla est pluralitas quocumque modo, nec numerus. Sed ubi est diversitas aliquorum modorum, secundum illum est pluralitas et numerus. Et sic in Deo est pluralitas et aliquis modus numeri secundum modum quo in ipso est diversitas, ut amplius patet ex supra determinatis circa modum ponendi numerum in Deo.

Ad quartum quod «in Deo *persona et essentia sunt eiusdem rationis*», dicendum quod verum est secundum modum praedicandi et dicendi in se ipsis, quia in se ipsis ambo dicuntur ad se et secundum substantiam. Secundum tamen modum praedicandi et dicendi in suis propriis subiectis, sunt alterius rationis, quia esse in Deo omnino dicitur ad se, persona vero in subiectis dicitur ad aliud, ut amplius patet ex iam determinatis.

Ad ultimum dicendum secundum quod expositum est supra in prima quaestione de simplicitate Dei, quod duplex est unitas. Quaedam quae secundum graecos dicitur monas quae est unitas repugnans multitudini discretorum in diversis; quaedam vero quae dicitur henas repugnans multitudini unitorum in eodem. Unitatem isto secundo modo sequitur simplicitas, et ubi est maior unitas et maior simplicitas, et convenit cuilibet personae in se sicut essentiae. Est enim persona aequae

simplex cum essentia, ut habitum est supra et amplius habebitur infra. Unitatem vero primo modo non sequitur simplicitas sed singularitas; sic enim unum non oportet quod sit simplex, ut patet in mundo. Et non sequitur quod sit maior simplicitas ubi est maior unitas. Isto enim modo maior est unitas mundi quam angeli, et tamen non sequeretur quod non possent esse plures angeli, licet non possint esse plures mundi. Et convenit ista secunda unitas divinae essentiae in quantum non possunt esse plures essentiae divinae, et similiter personae secundum quamlibet rationem personae, in quantum non possunt esse plures patres in divinis, nec plures filii sicut nec plures dñi, ut infra videbitur. Sed non convenit personae secundum rationem personae simpliciter, quia plures personae sunt in Deo, licet non plures essentiae, ut iam expositum est et infra amplius exponetur. De unitate ergo secundo modo maior est vera, ut dictum est, et minor est falsa. Non enim est maior unitas quae dicitur henas, ubi est unitas essentiae cum unitate personae, quam ubi est cum pluralitate in divinis, ut dictum est. De prima vero unitate e converso est maior falsa, ut dictum est, et minor vera. Sed talis unitas ex parte personae simpliciter non potest esse summa in Deo, quia excluderet personarum omnimodam pluralitatem quae sequitur summam unitatem secundo modo. Et sic non est in Deo omnino summa unitas sicut et summa simplicitas, quia secundum omnem rationem est ibi summa simplicitas et unitas simplicitatis, non tamen secundum omnem modum est ibi summa unitas discretionis et singularitatis, quia illa repugnat summae simplicitati; summa enim simplicitas deitatis requirit quod in ea sit personarum pluralitas et non unitas.

QUAESTIO 9

UTRUM IN DEO SINT TRES PERSONAE ET NON PLURES NEC PAUCIORES

Circa nonum arguitur quod in Deo non sint nisi duae personae. Primo sic. In divinis non est nisi persona quae non est ab alia et persona quae est ab alia. Sed ita est quod persona quae non est ab alia non potest esse nisi unica propter perfectionem quam requirit in illa ratio illa quae est non esse ab alia, ut iam patebit. Quare cum in persona non minorem perfectionem requirit ratio essendi personam ab alia quam ratio essendi personam non ab alia, consimiliter ergo propter perfectionem quam requirit in persona ratio illa quae est non esse ab alia, persona illa quae est ab alia non potest esse nisi unica. In Deo ergo tantum est unica

persona quae est ab alia et tantum unica quae non est ab alia. Ergo tantum duae personae sunt in ipso.

Quod sint plures arguitur sic. In Deo est ponere rem quae generat ut personam Patris, et rem quae generatur ut personam Filii, et rem quae spiratur ut personam Spiritus Sancti, et rem quae non generatur nec spiratur ut communem essentiam, quae non est nisi essentia singularis intellectualis naturae, et talis non est nisi persona. Ergo in Deo sunt ad minus quatuor personae.

Quod in divinis personae sint infinitae arguitur sic. In divinis plures sunt personae in eadem essentia propter eius infinitatem et illimitationem qua communicabilis est in sua singularitate. Sed communicabile propter eius infinitatem non minus est communicabile in infinitis, eo quod infinitas nullum numerum sibi determinat. Ergo etc.

<SOLUTIO>

In hac quaestione supposito ex praedeterminatis quod in Deo necesse est ponere plures esse personas, primo explicandum est quomodo in divinis non possunt esse tantum duae personae, sed quod oportet esse tres. Et deinde quod non possunt esse plures tribus, ut secundum hoc sint tres et tantum tres nec plures nec pauciores.

Est igitur sciendum quod sicut persona in Deo non accipitur penes aliquid absolutum, sed solummodo penes relativam proprietatem, et ideo propter naturam proprietatis relativae constituentis personam, necessario poni debet pluralitas personarum in Deo et non unitas tantum, ut habitum est in praecedente quaestione; sic consimiliter in Deo non accipitur persona penes relativam proprietatem quamcumque, sed penes illam solam quae pertinet ad rationem originis et emanationis unius personae ab altera. Alia enim proprietas relativa in divinis realis non est, neque personae distinctiva, ut infra videbitur. Propter quod penes rationem divinarum emanationum necessario debet poni numerus personarum divinarum. Emanationum enim termini sunt ipsae personae relationibus constitutae. Quia ergo in Deo sunt tantum duo modi emanandi personam a persona, scilicet per modum naturae unus et per modum voluntatis alius, ut infra videbitur, quarum prima procedit a persona quae penitus non est ab alia, ut similiter videbitur inferius, secunda vero simul ab illa et ab alia quae emanat per illam et terminatur in personam tertiam, ut similiter videbitur inferius. Idcirco secundo in Deo non possunt esse pauciores quam tres modi personae, ut sunt in

divinis: persona quae a nulla est, et persona quae ab una est, et persona quae ab aliis est.

Praeterea, quia illi duo modi emanandi sic singulares sunt ut nullo modo possint plurificari, ut similiter infra patebit, et singulares emanationes necessario habent singulares terminos, idcirco tertio in Deo personae non possunt esse plures tribus, et sic tantum tres ita quod nec plures nec pauciores. Sed quia plura ex his adhuc obscura sunt: prout ait AUGUSTINUS I^o De Trinitate cap.^o 2^o, «*secundum auctoritatem Sacrarum Scripturarum, utrum ita se habeat fides demonstrandum est, deinde rationibus*» magis lucidis quasi a posteriori acceptis declarandum est. Auctoritates autem divinarum Scripturarum Veteris ac Novi Testamenti ad demonstrandum quod personae sint tres, inducit sufficienter MAGISTER Sententiarum, libro I^o distinctione 2^a et ab illo cap.^o 'Proponamus ergo in medium', usque in finem illius distinctionis, quas propterea non oportet hic recitare.

Rationes ad hoc idem demonstrandum acceptas a vestigio Dei in creaturis generaliter et a ratione imaginis in creatura rationali specialiter, sufficienter inducit per totam 3^{am} distinctionem, propter quod eas hic repetere non oportet. Sed unam explicat specialiter AUGUSTINUS, quam non explicat MAGISTER, cum dicit 83 Quaestionum quaestione 18^a: «*Omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Causam quoque eius oportet trinam esse qua fit, qua hoc fit, qua sibi amica sit. Creaturae autem causam, id est autorem Deum dicimus, oportet igitur esse Trinitatem*».

Sed haec ratio et omnes consimiles a vestigio et imagine creaturarum inductae probabilitatem et nullam necessitatem inducunt, eo quod quidquid est in creaturis attestatur principaliter eis quae sunt essentialia in Deo et communia tribus personis, licet per appropriationem singula singulis personis adaptantur.

Sed rationes acceptae ab illis quae sunt in Deo et pertinent ad eius perfectionem ad idem demonstrandum hic inducendae sunt, quarum prima sumitur ex bonitate, amore, caritate existente in Deo, quam ponit RICARDUS, III^o De Trinitate, sparsim in diversis capitulis, in cap.^o 11^o inquires: «*In mutuo amore nihil praeclarius quam ut ab eo quem summe diligis et a quo summe diligeris, alium aequae diligere velis. Demus ergo summo quod praecipuum et optimum est. Vides ergo quomodo caritatis consummatio personarum Trinitatem requirit*». Ut enim dicit cap.^o 13^o: «*Caritas ut esse vera possit, pluralitatem exigit, ut vero consummata sit Trinitatem personarum requirit*». Et cap.^o 19^o: «*Quando solus solum diligit, dilectio quidem est, condilectio non est. Condilectio vero dicitur ubi duorum affectus tertii amoris incendio conflatur*».

Secunda ratio sumitur ab eodem ex parte felicitatis et iucunditatis in cap.^o 17^o sic dicens: «*Completio verae felicitatis et summae nullo videtur posse subsistere sine geminatione personae*». Et cap.^o 18^o: Et certe «*si in illa personarum pluralitate tertia persona deesset, in sola geminatione personae non esset*». Et cap.^o 20^o: «*Nam plenitudo summae felicitatis requirit plenitudinem summae iucunditatis, plenitudo summae iucunditatis requirit plenitudinem summae caritatis, plenitudo summae caritatis exigit plenitudinem Trinitatis*».

Ratio vero, qua probari debet quod in divinis non sunt plures quam tres personae, accepta est a natura rei talis: in divinis non est personarum pluralitas nisi propter emanationem personalem et relativas proprietates quibus ordinem habet ad actus emanationum personalium, ut dictum est supra. Nunc autem in divinis non potest esse nisi tantum unica persona quae non est ab alia, et a qua aliae. Nec possunt esse in divinis plures rationes vel modi emanationum quam duo, ita quod quamlibet illarum necesse est esse singularem et unicam per quas non possunt procedere nisi duae personae singulares et unicae, secundum quod in sequentibus omnia ista habent declarari. Una autem singularis persona quae non est ab alia et a qua sunt aliae, et duae singulares quae sunt ab alia, non sunt personae nisi tres. In divinis ergo non possunt plures esse personae quam tres.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «*propter perfectionem suam persona quae non est ab alia est unica*, ergo *propter* aequalem perfectionem persona illa quae non est ab alia debet esse unica», dicendum quod non est ita. Quoniam sic est in omnibus quae pluralitatem habent in universa rerum natura quod ordinem aliquem habent ad invicem secundum rationem principii et principiati, ut sit omnium illorum principium unum a quo habent educi et in quod habent reduci, secundum quod in prima quaestione nostri VIⁱ Quolibet exposuimus diffusius ordinando hierarchicum ordinem universi. Et sic primum principium in ordine quocumque requirit unitatem, non sic autem procedens a principio. Propter quod licet in ordine divinarum personarum sit necesse fore unicam personam quae non est ab alia, non tamen necesse est fore unicam illam quae est ab alia. Immo bene potest esse necesse quod sint plures, et hoc propter emanationum pluralitatem, ut dictum est et infra declarabitur. Nec sequitur conclusum, eo quod non tenet forma argumenti, quoniam in divinis est accipere duplicem rationem perfectionis, licet ipsa perfectio non sit nisi unica quia de essentialibus est: unam quae est Dei in quan-

tum Deus est, aliam quae est singularis personae in quantum talis persona est, ut Patris in quantum Pater est, et Filii in quantum Filius est, et Spiritus Sancti in quantum Spiritus Sanctus est. Ratio autem perfectionis Dei, in quantum Deus est, in essentialibus et absolutis consistit, in qua univoce aequales sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et aequae perfecti, non tamen tres perfecti sed unus perfectus. Et propter istam perfectionem persona non habet esse persona nec unica, nec plures, sed Deus tantum, de qua supra tractatum est. Ratio vero perfectionis personae singularis, in quantum singularis persona, consistit in relativis et personalibus, in qua nec univocantur nec conveniunt diversae personae divinae, scilicet illa a qua est alia et quae est ab alia, quia personalis proprietas unius non est communis alteri. Ratio enim perfectionis Patris, sive ratio secundum quam perfectio est in Patre in quantum Pater, propria est Patri, et non convenit Filio nec Spiritui Sancto. Consistit enim in sua innascibilitate in qua habet fecunditatem ut ab ipso procedat omnis alius et omne aliud, ut infra patebit. Ratio vero perfectionis Filii consistit in sua nativitate in qua habet fecunditatem communem cum Patre, ut ab ipso procedat unus alius et omne aliud. Ratio autem perfectionis Spiritus Sancti consistit in sua processione passiva in qua habet fecunditatem communem cum Patre et Filio, ut ab ipso procedat omne aliud. Et sic ratio perfectionis Patris ut Pater non convenit Filio nec Spiritui Sancto nec e converso, sicut nec Filio convenit quod sit Pater nec Spiritus Sanctus nec e converso. Propter quod non omnis actio personalis quae convenit Patri, convenit Filio aut Spiritui Sancto. Sed in aliqua ratione perfectionis convenit cum Patre Filius, non autem Spiritus Sanctus, quae scilicet consistit in eorum processibilitate in qua habent communem fecunditatem ut ab ipsis procedat Spiritus Sanctus. Propter quod dicit RICARDUS, III^o De Trinitate cap.^o 15^o: *«Sane in divinis illis personis perfectio unius exigit adiunctionem alterius, et consequenter in geminis perfectio utriusque requirit cohaerendum tertiae»*. Quia ergo persona, quae non est ab alia sed a qua est alia, et persona, quae est ab illa, non conveniunt, et per consequens nec univocantur in suis rationibus perfectionum personalibus, ideo non sequitur quod licet una persona propter suam perfectionem requirat quod sit unica tantum, quod hoc similiter requirat et alia ut quod sit persona quae non est ab alia et a qua est alia sit unica, quod similiter persona quae est ab alia sit unica tantum, scilicet illa quae prima emanatione procedit, quamvis sua perfectio requirit quod sit tantum unica in ratione suae personalitatis. Quemadmodum enim perfectio Patris, ut Pater est, requirit quod in divinis non sit nisi tantum unus Pater, sic perfectio Filii, ut Filius est, requirit quod in divinis non sit nisi unus Filius. Non tamen quemadmodum perfectio Patris, qua non

est ab alio simpliciter, requirit quod non sit in divinis alius qui non est ab alio, sive ille alius intelligatur fore pater sive non-pater; sic perfectio Filii, qua est ab alio simpliciter, requirit quod non sit in divinis alius qui non est ab alio, sive ille fuerit filius sive non-filius, secundum quod haec omnia melius clarescent inferius.

Ad secundum dicendum quod licet in Deo sit ponere rem substantiae unicam et rem relationis in personis triplicem, tamen illa res substantiae ut substantia sive essentia est, licet sit natura intellectualis, non habet propriam rationem personalitatis. Quoniam, ut supra expositum est, non omnis res quae est essentia secundum quod est essentia, sive sit singularis sive non, non habet rationem personae nisi habeat rationem incommunicabilis. Et ideo non connumeratur cum triplici re personali, nec distinguitur contra eas in constituendo personam, ut posuit IOACHIM.

Ad tertium dicendum quod si non esset in divina essentia alia ratio qua est communicabilis, et alia qua est istis communicabilis, tunc argumentum procederet. Nunc autem non est ita. Licet enim sit communicabilis simpliciter propter rationem suae infinitatis et illimitationis, ut propterea in singularitate essentiae procedit communicatio in divinis, – cum tamen in illa statur in creaturis, ut alibi expressius declaravimus – non tamen est communicabilis nisi determinatis personis propter determinatum numerum radicum divinarum emanationum in divina essentia, cuiusmodi sunt intellectus et voluntas, ut determinavimus in VI^o Quolibet in quaestione de numero personarum, et infra adhuc amplius declarabitur. Rationes autem, quas RICARDUS adducit De Trinitate quod non possunt personae divinae esse infinitae, solubiles sunt omnes et solum probabilitatem inducunt, sicut et illae per quas probat personarum Trinitatem.

QUAESTIO 10

UTRUM UNA PERSONA HABEAT ESSE IN ALIA MUTUO ET EODEM MODO

Circa decimum arguitur quod in divinis non sit una persona in alia mutuo et eodem modo. Primo sic. PHILOSOPHUS, in IV^o P H Y S I C O - r u m , assignat octo modos 'esse in' et non supponuntur esse plures. Sed nullo illorum modorum una personarum divinarum est in alia, ut patet inducendo. Ergo etc.

Secundo sic. Quod habet 'esse in' semper exeundo ab alio, numquam habet esse in illo, quia 'esse in' et 'exire ab' sunt contrariae habitudines quae non possunt esse in eodem respectu unius. Filius habet 'esse in' semper exeundo a Patre, quia dicitur I o a n n i s XVI^o: «*Exiivi a Patre*»; et XIII^o: «*a Deo exiivi*»; et M i c h e a s V^o: «*Egressus eius ab initio a diebus aeternitatis*». Qui exitus exponitur de aeterna generatione qua semper Filius generatur et semper generatus est, ut infra videbitur; ergo Filius non est in Patre nec e converso, per consimilem rationem ut patet intuitu. Ergo etc.

Tertio. Si una persona est in altera, aut ergo ratione substantiae, aut relationis, aut utriusque. Non ratione substantiae, quia ratione substantiae sunt idem, et ratione qua aliqui sunt idem, unus non est in altero. Quia 'esse in' est nota differentiae sive distinctionis inter illos, quorum unus est in altero. Idem enim in quantum idem non est in se ipso, quia tunc aliquid esset in se ipso primo et per se, quod est impossibile secundum PHILOSOPHUM, IV^o P H Y S I C O R U M . Eo autem quo sunt idem non distinguuntur aut differunt. Non ratione relationis, quia ratione relationis opponuntur, et oppositum non habet esse in opposito in quantum oppositum est. Ergo non ratione utriusque secundum auctorem libri VI P r i n c i p i o r u m . Ergo etc.

Quarto sic. Si Pater est in Filio, cum Pater sit Deus et Filius Deus, ergo Deus est in Deo. Consequens falsum est, quia non est nisi unus et idem Deus, et sic idem esset in se ipso, quod est contra PHILOSOPHUM IV^o P H Y S I C O R U M . Ergo etc.

Quinto sic. Eodem modo potest argui quod Pater est Filius, si Pater est in Filio, et similiter de generatione activa et passiva quod scilicet generatio passiva sit in Patre et ita quod Pater generetur et quod generatio activa sit in Filio; et ita quod Filius generet. Etsi aliquid est in alio quod est in eo et quod est inest in illo in quo illud est. Si ergo Pater est in Filio et Filius in Patre, Pater est in se ipso, quod est impossibile secundum iam dicta. Ergo etc.

Sexto sic. Si Filius est in Patre – non autem est Filius ubi non est filiatio –; ergo filiatio in Patre est. Ille autem est Filius in quo est filiatio; Pater ergo est Filius. Consequens est falsum, ergo et antecedens.

Septimo sic. Opposita et repugnantia sicut ex se non possunt esse in eodem, sic nec per aliquod unum. Calidum enim et frigidum num-

quam per aliquod unum possunt concurrere in eodem. Quare cum filiatio et paternitas sunt opposita, numquam in eodem concurrunt per unum. Ergo etc.

Octavo sic. Proprietas illa quae per se convenit personae ut sibi propria, per personam non potest attribui essentiae. Dicimus enim quod generare proprium est personae et similiter generari, et non convenit essentiae per personam, quia essentia nec generat nec generatur; ergo eadem ratione nec proprietas quae convenit essentiae ut propria per ipsam nullo modo poterit attribui personae. Esse in est talis proprietas ut patet; ergo per hoc quod essentia communis personalis sit in personis, ex hoc non potest haberi quod persona sit in persona. Non est autem alia ratio principalior huius, ut patet ex dictis sanctorum. Ergo etc.

Nono sic. Sicut proprietas divinae essentiae est quod sit in divinis personis, sic et est eius proprietas quod sit una numero singularis et eadem in eisdem, ita quod non plus natum est communicare personis in quibus est suam proprietatem qua est 'esse in', quam suam proprietatem quae est esse una et eadem. Quare cum propter unitatem divinae essentiae in diversis personis, personae illae non possunt dici esse una et eadem persona. Consimiliter propter hoc quod divina essentia est in illis, una illarum non potest dici esse in alia.

Decimo sic. Si singulae personae mutuo essent in singulis, ergo et consimiliter singula eorum, quae insunt uni eorum mutuo, essent in singulis personis et etiam in singulis quae eis insunt, et e converso. Et sic in divinis essent omnia in omnibus et ita maxima confusio, quemadmodum in corporalibus erat summa confusio ponendo omnia in omnibus, secundum positionem ANAXAGORAE. Consequens impossibile est in divinis, quia non esset tunc in divinis summa discretio et distinctio personarum et personalium proprietatum. Ergo etc.

Undecimo sic. Si persona esset in persona, quia essentia est in eisdem, non ergo alio modo persona est in persona quam essentia est in persona, quia quod inest alicui per alterum, non potest illi inesse aliter quam secundum modum illius, ut si illud inest per se et istud et si per accidens illud et istud similiter, ut in sumendo in singulis. Quare cum essentia est in persona ut aliquid personae et denominans ipsam et ut in qua subsistit, similiter ergo si persona per essentiam esset in persona, una persona esset aliquid personae alterius denominans ipsam et in qua subsisteret. Consequens est falsum, ut patet. Ergo etc.

Duodecimo sic. Si plures sive plura dicantur esse mutuo in se ipsis, unum scilicet illorum in altero, quia aliquod unum communiter est in eisdem; ergo similiter si plures aut plura habent esse in eodem, eadem

ratione unum eorum ex hoc diceretur esse in altero; hoc autem est falsum. Dicimus enim quod albedo et dulcedo simul sunt in uno ut in lacte; non tamen dicimus quod albedo est in dulcedine nec e converso; ergo et primum est falsum.

Decimo tertio sic. Si in divinis aliquid est in alio, si non sit idem ipsi, compositionem facit cum ipso, ut patet de essentia et proprietate. Cum enim proprietas est in essentia, si non esset ipsa idem cum ea, ponerent compositionem in divinis. Quare si in divinis una persona ponatur esse in altera, et una non est altera nec eadem ipsi, hoc poneret compositionem in divinis. Utrumque horum est impossibile. Impossibile est ergo quod in divinis una persona ponatur esse in alia.

Decimo quarto sic. Quidquid est in Deo Deus est; eadem ergo ratione quidquid est in Patre Pater est. Si ergo Filius est in Patre, Filius est Pater. Ergo etc.

Decimo quinto sic arguitur quod non eodem modo una est in altera et e converso, quia dicit HILARIUS, VII^o De Trinitate: «*Pater est in Filio, quia ex eo est Filius; Filius in Patre, quia non aliunde est Filius; unigenitus est in ingenito, quia ab ingenito unigenitus*». Sed istae rationes et modi, quia ex ipso alius et quia ipse ab alio, omnino diversi sunt, immo oppositi. Ergo etc.

In oppositum est, quoniam qui subsistenti uno simplici non separati aut divisi, necessario insunt sibi invicem aut sunt idem omnino, quia non est medium. Omnes personae divinae sunt huiusmodi. Ergo etc. Et hoc est quod dicit Salvator, Iohannis XIV^o: «*Ego in Patre et Pater in me est*».

<SOLUTIO>

Hic, secundum auctoritatem Sacrae Scripturae, proculdubio tenendum est quod singulae personae divinae sunt in singulis. Et cum tantum in persona duo sunt, substantia et relatio secundum quod inferius declarabitur, non est in hoc aliquid de dubio nisi secundum quod illorum persona possit esse in persona, et quomodo secundum illud si secundum alterum tantum, aut si secundum utrumque quomodo hoc contingit.

Et dicunt ALIQUI quod una persona dicitur esse in altera ratione essentiae; et ALII quod ratione relationis. Ratione essentiae, quia tota essentia unius personae est in altera, secundum quod dicit DAMASCENUS, III^o Sententiarum cap.^o 6^o: «*Confitemur deitatis naturam omnem perfecte esse in unaquaque suarum personarum, omnem in Patre, omnem in Filio,*

omnem in Spiritu Sancto. Et ubi est substantia seu natura personae, ibi et ipsa est. Per hanc ergo unitatem naturalem, ut ait AUGUSTINUS in principio De fide ad Petrum: «*totus Pater in Filio et Spiritu Sancto est, et totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est, totus Spiritus Sanctus in Patre et Filio, nullus horum extra quemlibet ipsorum est*». Hinc etiam dicit AMBROSIIUS Super Epistolam ad Corinthios: «*Per hoc intelligitur Pater esse in Filio et Filius in Patre, quia una est eorum substantia*».

Ratione vero relationis dicunt ALII quod una persona est in altera quia unum relatorum intelligitur in altero. Sed dictum horum non videtur esse sufficiens, quia per hoc quod substantia Patris est in Filio et econverso, non habetur nisi quod Pater est unum cum Filio et econverso. Si ergo ex hoc Pater diceretur esse in Filio et econverso, tunc unus diceretur in altero secundum quod unum sunt. Eo autem quod aliqua unum sunt, non habetur quod unum in altero sit, sed potius contrarium, quia in eo quod Pater est unum cum Filio est idem quod ipse, in eo autem quod aliquid est idem, non est in quia secundum PHILOSOPHUM IV^o PHYSICORUM: «*alia est ratio eius quod est in quo, et alia illius quod in hoc*». Et tunc Pater, cum non sit minus sibi ipsi quam Filio, consimiliter diceretur esse in se ipso, sicut et in Filio, et hoc per se et primo, quia Pater per se et primo est idem sibi ipsi, non per aliquid aliud a se nec per aliquid sui. Hoc autem omnino est impossibile circa corporalia, ut probat PHILOSOPHUS, IV^o PHYSICORUM. Nec minus est impossibile circa spiritualia, ut patet ex eisdem rationibus, quia media eodem modo applicabilia sunt spiritualibus et corporalibus, ut patet inspicienti. Arguit enim PHILOSOPHUS quod si amphora vini esset per se in se ipsa, cum non sit in se nisi quia amphora est in amphora; et similiter vinum: aut quia vinum est in amphora, ergo amphora non solum esset amphora sed esset vinum et amphora; et similiter vinum non solum esset vinum sed esset amphora et vinum.

Similiter in proposito: si Filius, hoc est substantia genita, esset in se ipso per se, cum non sit in se nisi quia substantia est in substantia genita et similiter genitum aut quia genitum est in ipsa substantia, ergo substantia non solum est substantia sed proprietas et substantia, et proprietas non solum est proprietas sed substantia et proprietas. Et ita si secundum dictum modum ponendi, una persona esset in alia, scilicet secundum solam essentiam, eadem ratione si in Deo non esset nisi una persona, illa eadem ratione esset in se ipsa quomodo una est in alia, quod falsum est. Similiter per hoc quod Pater et Filius invicem sunt relativa, non habetur nisi quod unus sit ad alium, et quod intellectus unius non est sine intellectu alterius, non quod unus sit in altero vel intelligatur in altero, secundum quod patet de relativis in creaturis.

Clarum est igitur quod haec difficultas maior est quam videntur explicare dictae auctoritates sanctorum. Et est dicendum quod in divinis una persona est in alia, non ratione solius essentiae nec ratione solius relationis, sed potius simul ratione utriusque, scilicet substantiae et relationis, et ita non separatim secundum quod dictae opiniones vel expositiones ponunt, sed coniunctim. Si enim in divinis personis non esset unitas substantiae sicut nec proprietatum, manifestum est quod in divinis non plus diceretur Pater esse in Filio quam in creaturis. Similiter si non essent distinctae et differentes secundum proprietates relativas sicut neque penes substantiam, una non diceretur esse in alia sed potius eadem cum ipsa, ut dictum est.

Ad cuius intellectum, paulo tamen altius inchoando, videndum est quomodo modus essendi 'in' in divinis differat ab octo modis essendi 'in' in creaturis quos ponit PHILOSOPHUS, IV^o P H Y S I C O R U M . Sciendum est igitur quod haec praepositio 'in', quia notat circumstantiam continentiae, continentia autem necessario requirit distinctionem atque differentiam aliquam contenti a continente et e converso, quia ubi habet esse omnimoda identitas et indistinctio impossibile est aliquid 'esse in', ut dictum est et iam amplius dicitur. Ad hoc ergo quod in divinis personis una dicatur esse in altera, non est sufficiens ratio identitatis in substantia, sed ad hoc oportet quod ratio illius sit aliqualis alietas habitata per distinctionem inter illas.

Sed distinctio potest intelligi inter continens et contentum dupliciter: aut secundum totum quod est continentis et contenti, ut tunc nihil quod est unius sit alterius; aut secundum partem seu quasi secundum partem, ut scilicet aliquid quod est continentis non sit eius quod est contentum. Primo modo locatum est in loco, videlicet liquor in vase et forma in materia et motum in primo motivo et quod est ad finem in suo fine. Et in talibus unum est in alio, non e converso; et hoc aut nullo modo, aut non secundum eundem modum essendi 'in'. In secundo modo contingit dupliciter: aut enim aliquid est continentis quod non est eius quod est contentum, sed nihil est contenti nisi sit continentis, cuius conversum est impossibile; aut aliquid est contenti quod non est continentis et e converso et aliquid est commune utriusque. Primo modo pars est in toto et totum in partibus et species in genere et genus in speciebus. Et nec isto modo nec praecedente, in divinis una persona habet esse in alia, sed solum ultimo modo. Et sic 'esse in', secundum octo modos quos ponit PHILOSOPHUS in VIII^o et IV^o P H Y S I C O R U M , non competit proprie secundum aliquem illorum modorum essendi 'in', quo una persona est in alia. In illis enim octo modis quos ponit PHILOSOPHUS, ratio essendi 'in' per se est diversitas aliqua inter continens et

contentum, ut patet discurrenti per singulos. In isto vero ratio per se eius est convenientia sive id in quo conveniunt continens et contentum, ut iam patebit ex dicendis. Unde de isto modo essendi 'in', dicit HILARIUS, III^o De Trinitate in principio: «*Haec sensus hominis non consequitur, nec exemplum aliquod rebus divinis comparatio humana praestabit*».

Ad cuius intellectum specialiter descendendo ad propositum, sciendum quod aliquid vel aliquis potest dici esse in alio dupliciter. Uno modo per se et primo, ut id quod est secundum totum sit in alio per se et primo. Alio modo quod sit in illo secundum totum per se sed non primo, ut scilicet illud quod est in, totum sit in alio primo per aliquid sui. Primo modo in creaturis aliquid est in alio, quemadmodum locatum est in loco; sed sic nihil potest esse in se ipso, ut probat PHILOSOPHUS IV^o Physicorum. Sed et nec isto modo in divinis contingit aliquid vel aliquem esse in se ipso sicut neque in creaturis. Et propter easdem rationes nec etiam possibile est isto modo in divinis personam unam esse in alia, licet sit possibile in creaturis. Quia cum aliquod totum est in alio primo et per se, et quidquid est eius similiter aeque primo et per se est in illo, ut si in loco centri primo et per se est tota terra, et quaelibet pars eius aeque primo et per se est in centro, licet non separatim. Quare si persona Filii tota esset per se et primo in Patre, et proprietas Filii similiter ut filiatio primo et per se esset in Patre et aeque primo sicut et deitas Filii, quare denominaret Patrem sicut et deitas, et esset Pater filiatione Filius sicut deitate Deus.

Praeterea, si aliquid est in alio per se et primo, impossibile est vice versa quod illud in quo est, aliud sit per se et primo in eo quod est in ipso, quia idem esset continens et contentum per se et primo respectu eiusdem, et esset idem respectu unius totum exterius et totum interius, quod est impossibile et in corporalibus corporaliter et in spiritualibus spiritualiter. Et ita si una persona esset secundum totum per se et primo in alia ut Filius in Patre, non posset e converso Pater per se et primo esse in Filio secundum totum ullo modo vel saltem eodem modo. Quod non est tenendum in divinis, quia mutuo et uniformiter singulae personae in divinis ponendae sunt esse in singulis. Quod vero secundo modo aliquid sit in alio, scilicet per se sed non primo, quia per aliquid sui quod primo et per se habet esse in illo, hoc potest esse dupliciter: aut quod illud aliquid sit unius et non sit alterius, aut quod sit unius ita quod sit etiam alterius. Primo modo in creaturis habet aliquid esse in alio secundum quod avis dicitur esse in laquaeo quia pes eius est in laquaeo. Sed isto modo in divinis non contingit unam personam esse in alia, quia in divinis personis nihil est unius quod non sit alterius, per quod scilicet primo una habet esse in alia, quia in divinis personis illud quod est

unius et non alterius, non est nisi personalis proprietas et proprietas unius personae non est primo et per se in alio, ut per illam persona possit esse in persona illa per se, etsi non primo. Non enim filiatio est per se et primo in Patre, ut per illam totus Filius et divinitas ipsius sint in Patre per se, licet non primo. Quia tamen filiatione distinguitur Filius a Patre, ipsa filiatio primo et per se, quantum est ex parte sui, potius est extra Patrem quam in Patre, et per eam Filius extra Patrem quam in Patre, licet 'intra' et 'extra' non recipiantur proprie in divinis. Si vero sit aliquid in alio per aliquid sui quod sit unius eorum ita quod simul sit etiam alterius, isto modo essendi 'in', in creaturis nihil habet esse in alio, quia duobus differentibus in creaturis nihil in re est commune singulare utrique per quod una creatura possit esse in altera ullo modo. Et hoc modo proprie in divinis una persona habet esse in alia et tota in tota, sed non per se et primo tota in tota, immo per aliquid sui quod habet commune cum illa in qua est, quod est in illa per se et primo et per illud ipsa habet esse tota in illa per se, licet non primo, et hoc ratione illius quod non habet commune cum illa.

Dico igitur concludendo propositum quod in divinis persona una habet esse in alia secundum substantiam et secundum relationem simul. Secundum substantiam, ut secundum illud secundum quod principaliter persona una habet esse in alia, quia ipsa substantia eius est in illa primo et per se, et per illam ipsa tota persona quae nec secundum se tota diceretur esse in illa secundum substantiam communem, sed potius diceretur esse unum et id ipsum cum illa, si non esset in ea. Secundum relativam proprietatem qua differt ab illa, ut secundum illud secundum quod conveniunt, persona una habet esse in alia, non tamen primo. Quia ipsa proprietas unius personae non est in alia persona nisi quia substantia quae est eius in qua fundatur sua proprietas, est in illa persona. Substantia enim una numero et singularis non potest esse in aliquo quin in illo simul sit quidquid fundatur in illa substantia, et non solum secundum hoc una persona est in alia, sed singulae mutuo sunt in singulis.

Unde HILARIUS, ista intimius perquirens quam alii sancti qui non exprimunt personam esse in persona nisi secundum substantiam – ut patet in I^o Sententiarum distinctione 19^a cap.^o 'Et inde est' ubi ista materia tractatur – etiam exponit unam personam esse in alia secundum relationem in libro III^o De Trinitate cap.^o 1^o sic inquit: «*Cognoscendum itaque est atque intelligendum quid sit illud Ego in Patre et Pater in me. Si tamen comprehendere ita ut est valebimus, ut quod natura rerum non pati posse existimatur, id divinae veritatis ratio consequatur*». Et post pauca subiungit: «*Quod in Patre est, hoc in Filio est, quod in ingenito, hoc in unigenito, alter ab*

altero et uterque unum, non duo unus sed alius in alio, quia non aliud in utroque» – ecce quia unus in alio est secundum substantiam. Et sequitur continue: «*Pater in Filio quia ex eo Filius, et Filius in Patre quia non aliunde Filius unigenitus in ingenito, quia ab ingenito unigenitus*» – ecce quia unus in alio est secundum relationem. Et libro VII^o cap.^o 19^o: «*Insunt sibi invicem dum non est nisi ex Patre nativitas*» – ecce ‘in’ secundum proprietatem; «*dum in Deum alterum natura vel exterior vel dissimilis non subsistit*» – ecce ‘in’ secundum substantiam. Et propterea quod una persona est in altera, non solum secundum substantiam sed etiam secundum proprietatem ut sit tota in tota; contingit etiam subsistendo una est in altera et subsistit in ea. Propter quod dicit in fine libri: «*nihil differre esse et inesse; inesse autem non aliud in alio, ut corpus in corpore, sed ita esse et subsistere ut in subsistente insit, ita vero inesse ut ipse subsistat*», ut secundum hoc eodem modo persona habet esse in persona mutuo et secundum substantiam et secundum relationem, non aliter Pater in Filio quam Filius in Patre, licet cum alia relatione Pater est in Filio. Et hoc ideo quia substantia per quam personae ipsae et proprietates suae cum ipsis sibi invicem insunt, eodem modo est in ipsis in quantum pertinet ad modos essendi ‘in’. Quamvis enim pro tanto alio modo sit essentia in personis, quia in una est ut communicata ab alia vel ab aliis, in alia vero ut non-communicata ab altera, hoc non refert ad propositum. Si autem diversimode esset in illis, secundum hoc diversimode esset Pater in Filio et Filius in Patre.

Et est hic advertendum quod licet in Patre persona quae inest et quasi continetur, non inest aut continetur principaliter ratione totius, sed ratione alicuius quod est eius, sicut dictum est. Persona tamen cui inest et quae quasi continet primo et principaliter ratione totius quod est in eo, non autem ratione alicuius eorum propter quod continens, secundum quod per se et primo continet, quasi excedit contentum secundum quod primo et per se continetur, et est continens quasi extra contentum et continet per aliquid quod differt a contento et excedens illud quo primo et per se continetur. Contentum vero econverso est quasi intra continens et non continetur primo et per se nisi per aliquid in quo convenit cum continente, et exceditur ab eo quo primo et per se continet.

Secundum hoc solvitur difficultas summe disturbans intellectum in intelligendo Patrem esse in Filio et Filium in Patre mutuo. Unde secundum quod dicit HILARIUS, III^o De Trinitate in principio: «*Affert plerisque obscuritatem sermo Domini cum dicit ego in Patre et Pater in me est, et non immerito. Natura enim intelligentiae humanae rationem dicti huius non capit. Videtur enim non posse effici ut quod in altero sit aequè idipsum sit extra alterum, et cum necesse sit ea de quibus agitur non solitaria sibi esse, numerum*

tamen suum in quo sint conservantia non posse se invicem continere, ut qui aliquid aliud habeat intra se atque ita maneat, manensque semper exterior, ei vicissim quem intra se habeat, maneat aequae semper interior. Haec quidem sensus hominum non consequitur, nec exemplum aliquod rebus divinis comparatio humana praestabit», et hoc quia talis modus essendi 'in' non potest inveniri in creaturis, maxime corporalibus. Sed in divinis quoquo modo sequitur intellectus, dicente HILARIO, libro VII^o cap.^o 23^o: «Pater in Filio est et Filius in Patre, Deus in Deo, non per duplicem convenientium generum coniunctionem, ut patet in vino et amphora, neque per insitivam capacioris substantiae naturam, ut patet de vapore in aere, quia per corporalem necessitatem exteriora fieri his quibus continentur interiora non possunt, sed per nativitatem viventis de vivente natura dum res non differt dum naturam Dei non degenerat nativitas, dum non aliud aliquid quam ex Deo Deus nascitur». Ex iam dictis plane patet difficultas dicta.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum ergo quod «*in divinis persona non est in persona secundum aliquem octo modorum essendi 'in'*», dicendum quod verum est secundum quod iam expositum est. Annumerat enim ARISTOTELES sufficienter modos essendi 'in', qui in creaturis habent inveniri, a quibus omnibus iste est diversus qui in creaturis inveniri non potest, sed solum in substantia increata. Volunt tamen ALIQUI quod ad aliquem illorum reduci possit. Sed hoc diversimode in quantum persona habet esse in persona secundum substantiam et secundum relationem. Primo modo dicunt quod quia Pater est in Filio et e converso, quod substantia Patris est in Filio et e converso. Substantia habet esse in Patre et Filio secundum modum quo forma communis habet esse in speciebus. Quamvis enim in divinis non sit genus aut species, quodlibet tamen divinum suppositum quasi unam speciem relationis continet, et deitas, in quantum est communis tribus differentibus quasi specie, est quasi forma generis, licet alio et alio modo communitatis, ut tactum est superius et adhuc amplius tangetur. Secundo vero modo dicunt quod, quia Pater est principium originativum Filii et Filius principiatum quid et originatum ab eo, idcirco Filius est in Patre sicut originatum in originante et Pater in Filio sicut originans in originato, et reducitur ad illum modum quo aliquid habet esse in primo movente aut e converso.

Neuter horum sufficit nec pertinet ad propositum. Non primum, licet enim Pater est in Filio et e converso secundum substantiam, et ita eo quod substantia eadem est in utroque, non tamen secundum eundem modum Filius habet esse in Patre et e converso quo substantia habet

esse in Patre et Filio, quia substantia est in persona sicut aliquid quod est de constitutione eius, non sic autem persona in persona sed sicut conveniens distinctum in conveniente distincto, quod non potest esse secundum modum quo forma est in supposito. Nec potest, ut dicit HILARIUS, exemplum inveniri in creaturis, nec est in eis aliquid modus essendi 'in' similis in aliquo, quantumcumque remota similitudine, ad quem potest reduci, ut patet ex iam dictis. Similiter secundum dictum nihil valet ad propositum. Hic enim non quaeritur de esse unam personam in altera nisi in quantum una existit intima alteri, non autem ut emanans ab ipsa. Unde licet secundum quod una emanat ab altera, modus essendi unam in altera reducitur ad modum quo aliquid est in primo movente aut econverso. Hoc tamen nihil ad propositum, quia hic quaeritur modus quo unus habet esse in aliquo sed in coexistente. Unde etsi in divinis essent duae personae quarum una non procederet ab alia, ut Filius et Spiritus Sanctus si procederent a solo Patre, propter substantiae identitatem una posset in altera, sicut modo cum una procedit ab alia.

Ad secundum quod «una persona se *habet 'in' semper exeundo ab alia*, ergo non *habet esse in ipsa* ut in coexistente quod etiam est contra iam dictum», dicendum quod exitus personae a persona non est intelligendus per locorum aut naturarum distantiam, sicut intellexerunt haeretici nitentes probare ex hoc diversitatem naturarum generantis et geniti, sed intelligendus est solummodo per exeuntis et eius a quo exit distinctionem relativam, in eadem tamen substantia absolute. Ut enim ait HILARIUS, VII^o De Trinitate cap.^o 17^o: «*Non per defectionem aut protensionem aut derivationem ex Deo Deus est, sed ex virtute naturae in naturam eandem nativitate subsistit*»; secundum quod melius patebit infra circa emanationes personarum. Primo modo 'exire ab' et 'esse in' sunt dispositiones contrariae, et non possunt simul convenire eidem. Secundo autem modo non sunt contrariae, sed simul in eodem necessario, quia quod generatur est de individua substantia generantis, separatum nullo modo ab eodem.

Ad tertium quod «una persona non est in altera ratione substantiae quia ratione substantiae sunt unum et idem, et non est 'esse in' sine distinctione», dicendum quod bene arguit quod non ratione solius substantiae absque relatione, sed ratione utriusque secundum expositum modum una persona est in alia. Et quod arguitur quod «non ratione relationis quia ratione relationis opponuntur et secundum quod habent oppositionem potius habent personae non esse in invicem quam esse», dicendum quod verum est principaliter et primo. Si enim primo et principaliter non essent in invicem secundum substantiam, numquam essent in invicem secundum

relationem. Postquam tamen principaliter sunt in invicem secundum substantiam, sola substantia sine relatione distinguente non faceret eas esse in invicem, sed potius id ipsum ut patet ex prae habitis.

Ad quartum quod «*si Pater est in Filio, Deus est in Deo, ergo idem est in se ipso cum non sit nisi unus Deus*», dicendum quod Deum esse in Deo non oportet confiteri, dicente HILARIO VII^o De Trinitate cap.^o 17^o: «*Unum et absolutum et perfectum fidei sacramentum est Deum ex Deo et Deum in Deo confiteri, non corporalibus modis sed virtute naturae*». Et cap.^o 18^o: «*Unigenitus cum ipse Deus sit, tamen etiam per naturae unitatem in eo Deus. Et per id quod ipse Deus est et in eo Deus est, habens in se et quod ipse est et quo ipse subsistit. Ut enim per Esaïam loquitur: in te est Deus et non est alius Deus praeter te, et individuum et inseparabilem Patris et Filii divinitatem ita prophetavit*». Non tamen oportet confiteri eundem esse in se ipso, licet non sit nisi unus Deus, quoniam cum hoc bene sunt plures personae quae sunt in invicem. Licet enim hoc nomen ‘Deus’ significat naturam sive essentiam tantum et hoc in communi secundum modum quo essentia dicta est communis esse, supponit tamen ex modo significandi pro suppositis, quemadmodum hoc nomen ‘homo’ aut ‘animal’, nec quoad hoc est aliqua differentia ex parte essentiae, licet ibi unica sit in pluribus sive plurificata. Unde licet Deus sit unum et idem propter significatum unum singulare, est tamen bene Deus in Deo propter suppositum aliud et aliud, non tamen alius Deus in alio nec idem in se ipso, sed alius in persona in alio, ut expositum est.

Ad quintum: «*si Pater est in Filio et Filius in Patre, ergo Pater est in Patre*», dicendum quod verum est, quia nihil potest esse in contento quin sit in continente. Sed non oportet quod eo modo quo est in contento sit in continente, nisi sit contentum in primo continente primo et per se, et similiter secundum contentum in primo contento, ut si ignis est in caelo et in igne aer sicut in loco, ergo et aer est in caelo sicut in loco. Non tamen hoc omnino eodem modo, quoniam ignis est in caelo ut in loco proprio et determinato, aer vero est in caelo ut in loco communi et excedente. Verum est ergo in proposito quod quia Filius est in Patre et in Filio Pater, quia Pater est in se ipso, non tamen sicut Filius est in ipso et sicut ipse est in Filio, quoniam Filius totus est in Patre, et similiter Pater totus est in Filio per se, licet non primo secundum praedicta. Pater autem non est in se ipso per se omnino, quia etsi totus sit in se ipso, hoc non est secundum totum ut est totus, sed secundum illa quae sunt eius ut aliquid eius sunt, et ita quasi per accidens. Quemadmodum enim in corporalibus amphora vini quod est quoddam totum compositum ex amphora et vino, secundum PHILOSOPHUM IV^o Physicorum, est in se ipsa per accidens ut per suas partes, quia

scilicet in amphora vini est amphora et similiter vinum ut partes eius, sic in proposito Pater in quantum est quodam modo totum, scilicet substantia ingenita cuius, secundum nostram rationem intelligendi, quasi partes sunt substantia et proprietas quae est ingenita, est in se ipso quasi per accidens, quia scilicet in substantia ingenita est substantia et similiter ingenita, ut quasi partes eius et hoc sigillatim. Non enim unum illorum est in Patre primo et alterum per aliud consequenter, sed ambo aequae principaliter, propter quod nequaquam totus est per se in se ipso, sed quasi per accidens solum. Quia vero unum illorum, ut essentia Patris est in Filio per se et primo et per illam consequenter proprietas eius et per hoc totus Pater propter quod aliquo modo per se totus Pater est in Filio. Et sic, licet per aliquid sui sit in Filio et in se ipso, aliter tamen et aliter. Consimiliter intellige de esse Filii in Patre et in se ipso.

Ad sextum, «*si Filius est in Patre, ergo filiatio est in Patre*» etc., dicendum quod ‘esse in’ multum aequivoce accipitur in divinis cum dicitur Filius est in Patre, proprietas Patris est in Filio, essentia Patris est in Filio, essentia Filii est in Filio, proprietas Filii est in Filio, proprietas Filii est in essentia Filii, esse Filii est in essentia eius. Quia quod Filius habet esse in Patre, hoc est subsistenter, et similiter quod proprietas Filii est in Patre aut substantia Filii secundum quod est Filii. Sed aliter et aliter Filius est subsistenter in Patre; Filius enim non est in Patre ut aliquid Patris sicut sunt substantia et proprietas eius, sed ut subsistens in ipso quia in ipso est subsistendo.

Ut per hoc excludatur latens quaestio in hoc dicto “Filius subsistit in Patre”, quia illa determinatio potest determinare li ‘subsistit’ ratione actus essendi, quia intelligitur in ipso tamquam materialis in quolibet verbo adiectivo, vel ratione proprii actus qui exprimitur per participium ‘subsistens’. Primo modo dictum illud verum est sub hoc sensu: Filius est in Patre subsistens. Secundo modo falsum sub hoc sensu: Filius est subsistens in Patre; denotaretur enim quod Filius in subsistendo inniteretur Patri quasi fundamento suo in subsistendo, quemadmodum dicitur subsistere in divina essentia. Et sic primo sensu ‘subsistere in’ dicitur subsistenter sive substantialiter; in secundo vero fundamentaliter. Et sic cum dicitur Filius esse in Patre, ‘esse in’ intelligitur subsistenter. Et similiter cum proprietas Filii dicitur esse in Patre, quia non posset totus Filius esse in Patre nisi quidquid est eius simul esset in Patre, ut procedit obiectio, hoc intelligitur subsistenter, sed hoc non quia ipsa in Patre subsistit, sed quia est per se in Filio subsistente in Patre in quantum subsistit in eo. Et non solum proprietas Filii, sed etiam sua essentia ut sua est et habita in ipso sub ratione geniti, est in Patre subsistenter, quia est in Filio subsistente in Patre, licet eadem essentia ut

est Patris in Patre est formaliter, quia est forma quasi communis qua ipse est Deus, quemadmodum proprietas Filii est in Filio et proprietas Patris in Patre, licet non per inhaerentiam ut forma propria qua Filius est Filius et qua Pater est Pater. Quae quidem proprietas et habet esse in essentia secundum alium modum 'essendi in', scilicet fundamentaliter, quia in essentia fundatur proprietas, ut infra habet declarari, et per hoc quod proprietas qua persona subsistit habet fundamentaliter esse in substantia ut cui innitur, ideo et tota persona in se ipsa dicitur esse quasi per accidens, sed alio modo quam prius, quia scilicet aliquid eius ut proprietas est in aliquo quod est eius ut in substantia illius, et hoc quemadmodum in corporalibus amphora vini dicitur in amphora vini, quia vinum, quod est pars eius, est in amphora quae est altera pars eius. Et secundum hunc modum etiam 'Deus' essentialiter acceptus dicitur esse in se ipso, quia sapientia eius et cetera huiusmodi habent esse in substantia eius. Cum ergo arguitur: «*si filiatio est in Patre, ergo Pater est Filius*», patet equivocatio de 'esse in'. Bene enim sequeretur si esset in ipso formaliter sicut est in Filio et sicut paternitas est in Patre. Nunc autem est in ipso ut subsistenter, ut dictum est. Et quod sic est in alio, est in ipso ut distinctum et discretum ab ipso non denominans ipsum. Et consimiliter est de generari et de aliis quae insunt Filio formaliter et Patri insunt subsistenter, ut dictum est.

Ad septimum quod «*opposita et repugnantia per unum et idem non possunt esse in eodem*», dicendum quod verum est in creaturis ubi ex eadem proxima radice non oriuntur, ibi enim opponuntur respectu subiecti. Non autem illud verum est in Deo, quia omnes divinae proprietates ex eadem radice proxima, quae est essentia, oriuntur et in ipsa radicantur. Propter quod et in quantum relationes sunt, opponuntur respectu obiecti ut non possint oppositae esse in eodem formaliter, non tamen opponuntur respectu subiecti in quo radicantur quin per ipsum possunt inesse eidem, unum eorum formaliter, alterum vero subsistenter, ut dictum est.

Ad octavum quod «*proprietas propria personae non convenit essentiae quare nec e converso*», dicendum quod verum est secundum eundem modum; potest tamen ambobus convenire secundum alium et alium modum, ut in proposito. Licet enim proprietas non conveniat essentiae ut cuius est formaliter, convenit tamen ei ut cuius est fundamentaliter. Similiter 'esse in', licet non conveniat personae formaliter denominando id in quo est, bene tamen convenit ei subsistenter, ut dictum est.

Ad nonum quod «*diversae personae non sunt una persona licet una essentia una sit et eadem* cum ambobus, ergo similiter licet una essentia insit ambabus, non tamen ex hoc sequitur quod *una earum sit in alia*»,

dicendum ad hoc quod non est simile, quoniam esse unum cum alio nullam penitus notat rationem differentiae, sed pure identitatem; ubi enim est maior unitas, et maior identitas. Propter quod non sequitur omnino: si unum est idem ambobus quod sint inter se idem, quia ex hoc quod sunt unum et idem in uno, non habetur quod sint unum et idem in omnibus. Sed esse in aliquo necessario ponit aliquam differentiam eius quod inest ab eo cui inest, ut dictum est. Propter quod si aliquid inesset duobus in quo conveniunt, si in illo radicanter ea quibus differunt, necessario ex adiuncto intelligitur simul inesse quibus differunt, et sic personae totae in totis, ut dictum est.

Ad decimum quod «*si personae singulae essent in singulis* hoc ponerent in divinis summam personarum confusionem contra illud ATHANASII: «*Neque confundentes*», dicendum quod in divinis singula sunt in singulis tam in essentialibus quam in personalibus, ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, non solum «*unitas in Trinitate et Trinitas in unitate*», sicut dicit ATHANASIUS, sed etiam Trinitas in Trinitate, scilicet ratione personarum, «*veneranda sibi*», dicente AUGUSTINO, VI^o De Trinitate in fine: «*In se infinita sunt et singula sunt in singulis et omnia in singulis et singula in omnibus et omnia in omnibus et unum omnia*». Est igitur unitas substantiae veneranda in Trinitate personarum, scilicet in Patre et Filio et Spiritu Sancto, et hoc tamquam forma communis in suppositis quorum est forma. Et similiter Trinitas in unitate personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti in unitate essentiae ut in qua subsistunt. Et similiter Trinitas in Trinitate et hoc dupliciter: vel ut singuli venerentur et in singulis et hoc sex combinationibus, ut scilicet Pater veneretur in Filio et Spiritu Sancto, et Filius in Patre et Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in Patre et Filio. Velut omnes venerentur in singulis et singuli in omnibus, et hoc novem combinationibus, ut Pater, Filius, Spiritus Sanctus in Patre et in Filio et in Spiritu Sancto omnes simul, licet secundum alium modum essendi quaelibet personarum habet esse in se ipsa et in alia, ut dictum est. Et licet, ut dictum est, personae sint in personis et etiam per hoc personalia quae sunt in personis sunt in eisdem in quibus sunt ipsae personae, non tamen insunt sibi invicem, ut filiatio non est in paternitate propter oppositionem quam habent inter se.

Ipsa tamen essentialia cum hoc, quod sunt in singulis personis et earum proprietatibus, insunt etiam sibi invicem, et hoc absque omni confusione tam in personalibus quam in essentialibus, quia cum hoc quod sibi insunt mutuo, retinent suas distinctiones personalem et realem personalia – et hoc quemadmodum si duo corpora ponuntur simul in eodem loco, gloriosum et non-gloriosum, utrumque eorum mutuo est in altero sed tamen absque confusione – quia sub eadem distinctione quam

haberent, si essent extra se rationalem vero essentialia. Tunc autem solummodo esset confusio si ex eo quod insunt amitteretur distinctio inter id quod inest et cui inest, quemadmodum in chaos confusio, secundum ANAXAGORAM, nulla erat distinctio carnis ab osse a ligno aut lapide et ceteris huiusmodi. *«Qui videt hoc vel aperte vel per speculum in aenigmate»*, ut dicit AUGUSTINUS in fine VI De Trinitate: *«Gaudeat cognoscens, Deum et honoret et gratias agat. Qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per caecitatem ad calumniandum, quoniam unus est Deus licet Trinitas; nec confuse accipiendum ex quo omnia per quem omnia in quo omnia»*.

Ad undecimum: *«si persona per essentiam esset in persona, non esset aliter in illa quam ipsa essentia»* etc., dicendum quod verum est, si per solam substantiam, et ut est substantia simpliciter, una persona esset tota in alia, tunc enim persona non esset nisi substantia. Aut si non tota esset in illa, tunc solum esset in illa per substantiam quasi per accidens et quasi secundum partem, quemadmodum si duo corpora essent coniuncta sub uno capite, unum illorum quod caput unum haberet commune esset in altero secundum partem et non secundum totum, et ideo quod sic esset in altero ipsum totum non denominaret illum in quo esset, sed solum pars illa per quam esset in illo. Nunc autem quia persona non inest in persona per solam substantiam, licet primo et per se sit 'in' per illam, sed etiam per proprietatem licet ex consequenti, ut dictum est, et per hoc non per substantiam ut solummodo substantia est simpliciter, sed specialiter ut est sub proprietate eius cui inest, quae est alia ratio circa substantiam quam sit ratio substantiae ut est eius cui inest. Filius enim non est in Patre per substantiam nisi quae est sub ratione sive proprietate geniti, quae in Patre ut est forma ipsum denominans, non est nisi sub ratione ingeniti. Non enim Pater est sapiens sapientia genita sed ingenita, ut habitum est supra. Et licet substantia simpliciter considerata, ut simpliciter considerata, est primaria ratio quare persona est in persona, quia communiter est in ipsis ut forma communiter denominans ipsas, quia tamen secundum quod talis non est proxima et perfecta ratio huiusmodi, sed solum secundum quod est sub ratione proprietatis personae quae inest, et secundum hanc rationem non inest ut forma denominans in persona cui inest altera, sed solum ut subsistens in illa in quantum est aliquid subsistentis in illa, sicut dictum est.

Idcirco non alio modo inest persona personae quam inest ei substantia per quam inest in quantum est proxima ratio essendi inesse, licet aliter insit in quantum ratio est eius prima. Et potest esse exemplum huius manifestum si ponamus Christum ubi modo sedet ad

dexteram Patris in manu sua corporaliter includere hostiam consecratam, hoc enim posito verum est dicere quod in manu Christi est tota hostia quoad sacramentum et rem sacramenti, et e converso tota manus Christi est in hostia quae est sacramentum, ita quod dimensiones manus Christi per concomitantiam ad substantiam quae est vi transsubstantiationis sub dimensionibus hostiae, sunt sub dimensionibus hostiae, et quod e converso dimensiones hostiae sub dimensionibus manus Christi, hoc clarum est. Ecce quia substantia manus Christi est sub dimensionibus manus primo quodam modo, quemadmodum deitas est in Patre sub forma paternitatis in Patre, et per transsubstantiationem est sub dimensionibus hostiae quodam modo, quemadmodum per generationem deitas est in Filio sub proprietate filiationis, et concomitative per substantiam manus dimensiones manus sub dimensionibus hostiae quodam modo, quemadmodum proprietas paterna per deitatem est in Filio et e converso, licet non quemadmodum dimensiones sunt sub dimensionibus manus, quia illae non sunt ibi per concomitantiam sicut est proprietas filiationis in Patre. Propter quod non est mirum si «totus *Pater est in toto Filio, quia ex eo Filius* est et e converso quia ipse ab illo est», ut dicit HILARIUS. Cum videmus quod tota manus Christi est sub dimensionibus hostiae per actum transsubstantiationis et e converso tota dimensio hostiae cum substantia manus et eius dimensionibus existentibus sub hostia sub manu Christi tota per actum compraeensionis, ut per hoc etiam tota manus Christi secundum substantiam et dimensiones sub speciebus hostiae quas continet, continet etiam se ipsam totam, ut nullum videatur inconveniens si totus Pater continens totum Filium in quo continetur totus Pater, in Filio contento contineat se ipsum totum. Potest autem ad medium rationis facilius responderi dicendo quod non semper oportet quod ens in aliquo per aliquid sit in illo, modo quo illud, quoniam totum bene est per accidens in aliquo ut per suam partem in quo pars ipsa est per se.

Ad duodecimum quod «pluribus existentibus in eodem *unum eorum* per illud non dicitur esse *in altero*, ergo nec per unum existens in pluribus illi dicuntur esse in invicem», dicendum quod plura existentia in eodem per illud non sunt in sese iam, quia illud unum non est essentialiter utriusque. Si tamen non esset de essentia utriusque per illud unum, illi ‘in quo’ essent quodam modo in sese, ut dictum est de corporibus iunctis in uno capite. Et sic in proposito, quia unum quod est in diversis personis est aliquid utriusque, per illud necessario sunt in sese, et etiam secundum totum per concomitantiam proprietatum, ut dictum est.

Ad decimum tertium quod «*in divinis est in alio et non est idem illi facit compositionem*», dicendum quod aequivocatur ‘esse in’. Quod enim est

in alio fundamentaliter sive radicaliter et non subsistenter, si non esset idem cum illo, poneret compositionem, ut patet de proprietate et substantia, et hoc quia non distinguuntur relative inter se. Propter quod, si non esset idem, oporteret quod hoc faceret diversitatem realem absolute non ratione tantum; et talis diversitas necessario poneret compositionem realem. Quod vero inest subsistenter, quia inest ut manens distinctum, sicut dictum est secundum HILARIUM, tale bene est 'in', non tamen idem propter relativam distinctionem et hoc absque aliqua compositione, quia diversitas relativarum proprietatum in eadem substantia non facit compositionem, quare neque in subsistentibus in illa.

Ad decimum quartum «*quidquid est in Deo Deus est, ergo quidquid est in Patre Pater est*», dicendum quod non est simile, quia 'Deus' nomen est essentiae licet supponat pro persona. Et propterea, quia a divina essentia nihil differt in divinis nisi sola ratione sive sit essentiale sive personale, idcirco quidquid est in Deo Deus est, quemadmodum quidquid est sub ente ens est. Ut sicut propterea ens non potest esse genus ad diversa entia differentia specie, sic Deus non potest esse genus ad diversas personas quae relationibus diversis quasi secundum speciem distinguuntur. Paternitas enim in creaturis est relatio suppositionis, et filiatio suppositionis, et illa fundatur in potentia activa, ista in potentia passiva. Pater autem et personam significat et pro persona supponit. Et propterea, quia a persona aliquis differt in divinis plusquam sola ratione, qui tamen potest esse in ipso secundum praedeterminatum modum, idcirco non quidquid est in Patre Pater est, licet quidquid sit in Deo Deus est.

Ad decimum quintum, quod «*personae divinae non insunt sibi eodem modo quia «Pater est in Filio quia ex ipso est Filius et Filius in Patre» quia ipse est a Patre, qui sunt modi omnino diversi*», dicendum secundum praedicta quod haec non est tota causa essendi personas divinas in se. Propter quod praemisit ibi HILARIUS: «*alius in alio, quia non aliud in utroque*». Quia enim non aliud est in alio, sed una eademque substantia singularis, haec est ratio inchoativa quare una tota persona est in tota persona alia. Propter quod in creaturis, licet a patre est filius, non tamen in filio pater est. Et licet filius sit a patre, non tamen in patre filius est, quia alia et alia substantia est in utroque. Unde si essent plures dii diversi secundum substantiam, «*ubi esset unus nequaquam esset alter*», secundum DAMASCENUM, I^o Sententiarum cap.^o 5^o; et sic non est unus in altero. Causa autem sive ratio illius completiva est, quia alius est ab alio quae, si non esset, non esset unus in alio sed penitus idem, ut dictum est. Quia relativis proprietatibus non distinguenter nisi, si per

impossibile, in eadem singulari substantia deitatis ponantur plures ingeniti quorum unus non est ab altero, tunc enim unus necessario esset in altero totus, quia subsistenter in substantia simplici et in nullo posset esse substantia quin in ipso esset quaelibet proprietas fundata in ipsa, ut dictum est. Unde HILARIUS, supposito quod non possint plures subsistere in eadem substantia singulari simplici distincti proprietatibus nisi unus esset ab altero, ideo hoc totum insinuando dixit «*Pater in Filio quia ex eo Filius*», hoc est, quia est in ipso per proprietatem quae ab ipso habet esse Filius. Et e converso «*Filius in Patre quia est a Patre*», hoc est, quia in ipso est per proprietatem qua est in ipso, ut sic quantum est ex parte substantiae insunt sibi secundum idem, in quantum vero est ex parte proprietatum insunt sibi non secundum idem propter quod insunt ut subsistens in subsistente.

Nec obstat alietas relativarum proprietatum secundum quas insunt uniformitati essendi 'in', quia ambo sunt 'in' per idem, scilicet per communem essentiam, ut praedictum est, per quam modo eodem filiatio, qua Filius subsistit in Patre, est in Patre subsistente et continente in se Filium et filiationem in Filio, ut scilicet quia fundatur in essentia. Et consimiliter paternitas, qua Pater subsistit in Filio, est in Filio subsistente et continente Patrem in se et paternitatem in ipso, per hoc quod fundatur in eadem essentia divina secundum modum praedeterminatum. Nec etiam obest isti uniformitati quod Pater alio modo habet deitatis essentiam, quia a se non ab alio; Filius autem non habet eam nisi ab alio ut a Patre. Alia enim est ratio eius quod est 'habere ab' et 'habere in'. Filius enim, licet non habet vitam a semetipso sicut habet eam Pater sed a Patre; «*sicut tamen Pater habet vitam a semetipso, sic Filius habet vitam in semetipso*, licet hoc dedit ei Pater», ut dicitur I o a n n i s V^o. Filius enim per se vivit formaliter, licet non a se principiative. Et sic quamquam secundum aliam proprietatem Pater est in Filio et Filius est in Patre, et alio modo substantia communis habita est in Patre et alio modo in Filio, ut propterea dicat HILARIUS: «*Pater in Filio quia ab eo Filius, et Filius in Patre quia ipse est ex Patre*», uniformiter tamen et uno modo atque eodem modo Pater habet esse in Filio et Filius in Patre. Et per consequens singulae personae in singulis et omnes in singulis et singulae in omnibus, secundum iam expositum modum.

Ratio et auctoritates in oppositum adductae concedendae sunt. Et patet ex dictis quomodo ratio veritatem concludit auctoritatis et quomodo veritas auctoritatis intelligenda est.

ARTICULUS LIV

DE MODO EMANANDI UNAM PERSONAM
DIVINAM AB ALIA

Sequitur de modo emanandi unam personam ab alia. Et circa hoc quaeruntur decem, quorum primum est utrum in divinis sit ponere aliquam personam quae non sit ab alia emanans; secundum, utrum persona non emanans ab alia in divinis sit tantum unica; tertium, utrum ab illa persona in divinis quae non emanat ab alia, emanet aliqua alia; quartum, utrum ab illa persona quae in divinis non est ab alia emanent plures aliae quam una; quintum, utrum personae duae quae emanant ab illa quae non est ab alia, emanent ab ea aequè primo principaliter et immediate; sextum, utrum personarum emanantium ab illa quae non est ab alia, una earum emanet a reliqua; septimum, utrum persona quae communiter emanat ab illa quae non est ab alia et ab illa quae est ab alia, ut Spiritus Sanctus a Patre et Filio, emanet ab eis aequè primo principaliter et eodem modo; octavum, utrum a qualibet dictarum trium personarum emanet aliqua alia; nonum, utrum actus emanationum notionales generandi et spirandi sunt quaedam intelligere et velle sive quidam actus intelligendi et volendi; decimum, utrum emanationes actuum notionalium generandi et spirandi fundentur in actibus essentialibus intelligendi et volendi quasi praesupponentes illos.

QUAESTIO 1

UTRUM IN DIVINIS SIT PONERE ALIQUAM PERSONAM QUAE NON SIT AB
ALIA EMANANS

Circa primum arguitur quod in divinis non sit ponere personam aliquam quae non sit ab alia primo sic. Persona quae non habet esse ab alia, nec quoad esse nec quoad esse personam, se ipsa sola est et subsistit. Sed quod sola se ipsa est et subsistit, absolute est et etiam subsistit, quia solum excludit omne adminiculum alterius. Ergo etc.

Secundo sic. Quod est necesse esse est tantum unicum; quod non est ab alio est necesse esse; ergo quod non est ab alio est tantum unicum. Si ergo in divinis est persona quae non est ab alio, in divinis persona est tantum unica. Hoc autem falsum est, ergo et illud ex quo sequitur, scilicet quod in divinis est persona quae non est ab alio.

In contrarium est, quoniam si in divinis non est persona quae non est ab alia, non esset persona in divinis omnino, quia non esset persona in qua esset origo. Sed semper una esset ab alia praecedente in infinitum. Etsi non est primum, non esset aliquid eorum quae sunt post, secundum PHILOSOPHUM in II^o Metaphysicae.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod, iuxta dictum RICARDI V^o De Trinitate cap.^o 3^o in principio, «illud quod *supra dictum est de esse Dei quoad divinam substantiam*, scilicet quod necesse est ponere in ordine rerum universi aliquam substantiam, quae est Deus, esse ex se ipsa et non ab alia, similiter dici debet de esse Dei quoad divinam personam, scilicet quod in ordine divinarum personarum necesse sit ponere aliquam personam divinam quae habeat esse a semetipsa non ab alia». «Nam», ut dicit ibidem, «si ista persona esset ab illa et illa ab alia et sic de ceteris, huiusmodi concatenationis productio absque dubio in infinitum procederet» – intellige nisi ponamus circulum in emanatione. Sed tunc sequeretur quod eadem persona emanaret a se ipsa, quod est inconveniens dicente ANSELMO: «Nec intellectus capit, nec natura permittit illum qui de quo est, esse illum de quo est». Ne igitur numerum divinarum personarum in infinitum extendamus, oportet proculdubio ut concedamus quod aliqua persona ex semetipsa existat et aliunde originem non trahat.

Sed istam deductionem praecedat ratio quam RICARDUS inducit, libro I^o cap.^o 6^o usque ad cap.^{um} 12^{um} de divina substantia applicando ad personas sic: «Universaliter omne esse triplici distinguitur ratione: erit enim ab aeterno et a semetipso, aut econtrario nec ab aeterno nec a semetipso, aut inter haec duo ab aeterno quod non tamen a se ipso. Nam illud quartum quod huic tertio

membro videtur econtrario respondere: nullo modo ipsa natura patitur esse; nihil enim potest esse a semetipso quod non sit ab aeterno, quamdiu enim nihil fuit, omnino nihil potuit, nec sibi ergo nec alteri dedit ut esset». «Sed ex illo quod non est ex se ipso sive ab aeterno sive non ab aeterno ratiocinando colligitur illud esse quod est a se ipso et eo ipso etiam ab aeterno. Nam si nihil a semetipso fuisset, non esset omnino unde ea existere possent quae suum esse a semetipsis non habent», sive ab aeterno sive non ab aeterno. «Et tunc quidem nulla erit origo» et procederetur in infinitum, ut iam dictum est, secundum quod processit ultimum argumentum.

Et per hunc modum ad huius quaestionis determinationem possunt adduci fere omnes rationes superius adductae ad probandum aliquam substantiam esse, quae Deus est, et primam in ordine universi quae necessario a se ipsa habet esse, non ab alia, et quae est omnium aliarum origo in se et a se, primo continens et quasi praeambiens cuncta quae ad absolutum esse deitatis pertinent. Et similiter id quod pertinet ad rationem personalitatis suae et a quo habent quidquid in se habent omnes res aliae, sive sint divinae personae sive creaturae, ut habitum est supra et iam amplius habebitur infra. Et haec est persona illa quae ingenita sive innascibilis dicitur esse in divinis.

<AD ARGUMENTA>

Ad illud ergo quod arguitur primo in contrarium quod *«persona quae non habet esse ab alia, se ipsa sola est et subsistit»*, dicendum quod verum est formaliter licet non effective – vel, ut magis proprie licet non usitate loquar, productive. Productive enim persona quae non est ab, nec a se nec ab alio, habet esse productive, sicut nec ipsa divina essentia, secundum quod superius hoc circa esse Dei declaratum est de divina essentia, et eadem declarationes hic applicari possunt, ut patet inspicienti, ad divinam personam. Et cum assumitur in argumento quod *«se ipso solo est et subsistit, absolute subsistit»*, dicendum quod non est verum, quia aliquid potest se ipso solo formaliter ita quod a nullo principiative esse et subsistere dupliciter. Uno modo quod sicut a nullo alio habet esse et subsistere, sic nec in ordine essentiali et naturali ad ullum habeat esse et subsistere, et quod tale est revera non nisi absolute habet esse et subsistere. Sed sic in divinis nihil habet esse nisi divina essentia et quae essentialiter pertinent ad ipsam; nihil etiam omnino sic habet in divinis subsistere, ut iam habitum est supra. Alio vero modo quod, licet a nullo alio habet esse et subsistere, tamen non est nec subsistit nisi in ordine ad alium, et quod tale est non nisi relative habet esse et subsistere. Et hoc

modo persona quae in divinis non habet esse ab alia, licet a se ipsa sola, ut dictum est, habet esse personaliter et subsistere. Hoc tamen non convenit ei nisi in ordine ad alium qui ab ipso habet esse et subsistere, ut iam inferius declarabitur.

Ad secundum quod «*illud quod est necesse esse, est tantum unicum*» etc., dicendum quod haec quod est necesse esse est tantum unicum est distinguenda ex parte eius quod est unicum, quia potest teneri essentialiter vel personaliter, sive enim li ‘quod’ tenetur essentialiter vel personaliter. Si li ‘unicum’ tenetur essentialiter, vera est sub hoc sensu: cui – sive fuerit essentia sive persona – convenit necesse esse, ipsum est unicum in divina essentia. Si vero li ‘unicum’ teneatur personaliter, falsa est sub hoc sensu: cui convenit necesse esse – sive fuerit essentia sive persona – ipsum est unicum in persona.

Et quod assumitur quod «*non est ab alio est necesse esse*», verum est universaliter de eo quod non est ab alio effective, et solum tale. Nihil enim factum ab alio sive creatum est necesse esse. Non solum autem quod non est ab alio principiative est necesse esse, ut persona ingenta sive etiam divina essentia, sed etiam quod est ab alio personaliter, ut persona Filii et Spiritus Sancti. Cum ergo concluditur «*ergo quod non est ab alio, est tantum unicum*», verum est essentialiter, quia non est nisi unus Deus. Sumendo vero unicum personaliter, sic duplicem causam habet veritatis. Quia, aut tantum unicum in sua personalitate, sic est vera accipiendo ‘non ab alio’ principiative. In divinis enim non est nisi unica persona quae non est ab alio, ut declarabit sequens quaestio. Aut tantum unicum in personalitate simpliciter, sic est falsa, sive ‘non ab alio’ sumatur principiative sive effective, quare ponit tantum unam personam in divinis esse, ut procedit ulterior conclusio falsa ex falsis. Secundum enim quod praemissae verae sunt, nequaquam sequitur, et maxime non ex illa quae in divinis sit persona quae non est ab alia, sed potius ex illa maiore «*quod est necesse esse est tantum unicum*», in falso eius sensu sumendo li ‘unicum’ personaliter, et ex illa prima conclusione; «*ergo quod non est ab alio est tantum unicum*», sumendo li ‘unicum’ pro unico in personalitate simpliciter, ut patet inspicienti.

QUAESTIO 2

UTRUM PERSONA NON EMANANS AB ALIA IN DIVINIS SIT TANTUM UNICA

Circa secundum arguitur quod persona non emanans ab alia in divinis non sit tantum unica. Primo sic. Productio omnis sicut requirit terminum ad quem fit, sic requirit terminum a quo; ergo et diversae productiones sicut requirunt diversos terminos ad quem, ut generatio et spiratio in divinis, duas personas quae habent esse ab alio, Filium et Spiritum Sanctum, consimiliter ergo requirunt duos terminos a quo, sicut est una persona innascibilis quae a nulla habet esse et a qua est actus generandi, sic similiter est alia persona quae a nulla habet esse, a qua est actus spirandi, et sic sunt duae personae in divinis ad minus quae non sunt ab alia.

Secundo sic. Quod in divinis non sit tantum unica persona quae est ab alia, sed quod sint plures; quod est dignitatis et perfectionis divinae naturae, ponendum est in divinis. Sed non minoris dignitatis est et perfectionis in divinis quod persona non sit ab alia quam quod sit ab alia, immo potius maioris, ut iam infra patebit. Ergo cum illud quod est dignius et perfectius, potius debet poni in divinis. Cum ergo in Deo necesse est ponere plures personas quae sunt ab alia, consimiliter necesse est ponere plures personas quae non sunt ab alia, et sic plures innascibilitates.

Contra. Si in divinis essent plures personae non ab alia, cum quaelibet persona quae non est ab alia, est innascibilis, essent ergo in divinis plures innascibiles et similiter plures innascibilitates. Quare cum illae non essent nisi unius rationis et convenientes specie, numero autem solo differentes, et divina essentia est una natura singularis, in una natura ergo singulari essent plures proprietates eiusdem rationis et speciei. Hoc autem est impossibile, sive fuerint absolutae sive respectivae, ut patet in creaturis. Ergo etc.

Item. Persona quae in divinis non est ab alia est principium primum omnium aliorum. Ergo duo essent principia prima si sunt duae personae non ab alia in divinis. Consequens falsum est et impossibile secundum superius determinata circa unitatem Dei. Ergo etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod non ab alio esse in divinis, secundum RICARDUM V^o De Trinitate cap. 5^o, «*incommunicabile est, nec potest pluribus convenire*». Quod probat RICARDUS ibidem, cap.^o 4^o ex ratione potentiae principiandi alia a se, «*quia cum tale sit potens per essentiam non per participationem, habet ipsius posse plenitudinem*, quare habet in se *omne posse*, quare et *ex ipsa est omne posse* et omne aliud esse et omnis

persona alia, et sic oportet quod sit *sola* talis». Huius alia ratio est assignata ex natura relationis quae plurificat personas in divinis in VI^o Quolibet.

Unde, sicut secundum illud quod supra determinatum est de unitate Dei, debet poni quod in universo non sint plures quam unus Deus, consimiliter poni debet hic quod non sit possibile ponere in Deo plures quam unam personam quae non est ab alia. Et fere illae eadem rationes per quas ibi declaratum est quod non sit possibile ponere plures deos, possunt hic adduci ad probandum quod non sit possibile ponere in divinis plures personas quae non sint ab alia, ut plures innascibiles, quoniam si essent plures, necessario haberent plures innascibilitates quae necessario sunt in alia et alia substantia deitatis. Propter quod egregie dixit beatus HILARIUS in libro De synodis: *«qui confitetur in divinis duos innascibiles, confitetur duos deos; unum enim Deum praedicari, natura unius innascibilis Dei exigit»*.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod *«sicut productio omnis requirit terminum ad quem sic et terminum a quo»*, hoc verum est, quia sicut non potest esse sine uno illorum, sic nec sine alio. Non tamen sequitur ulterius forma argumentandi quod *«sicut requirit plures et diversos terminos ad quem, sic et plures atque diversos terminos a quo»*; immo est fallacia figurae dictionis commutando quid in quo. Nec etiam sequitur ex ratione materiae, quia maior distinctio requiritur in principiatis quam in principiante, eo quod ab unitate nata est procedere omnis multitudo et reduci in ipsam, ut habitum est supra de unitate Dei. Unde licet sint plures personae ad quas terminantur emanationes diversae, ut iam infra videbitur, potest tamen esse una persona a qua plures rationes principiandi sunt, ut iam videbitur.

Ad secundum quod *«plures esse personas in Deo quae sunt ab alia est de dignitate et perfectione divinae naturae»*, ut iam videbitur, bene verum est; et similiter bene verum est quod *«non est minoris perfectionis in divinis quod persona sit non ab alia»*. Non tamen sequitur quod sit perfectionis in divinis plures personas esse non ab alia sicut est perfectionis plures esse ab alia; immo peccat forma argumenti secundum fallaciam figurae dictionis commutando quale in quot. Ac si sic argueretur “sicut est in divinis perfectionis et dignitatis personam esse ab alia, sic et dignitatis atque perfectionis personam in divinis non esse ab alia, ergo sicut dignitatis et perfectionis est plures esse ab alia, sic et dignitatis et perfectionis

est plures esse non ab alia”, quod non est verum, sicut nec dignitatis aut perfectionis esset in divinis divinam substantiam posse plurificari in plures deos. Immo quod dignitatis et perfectionis est ex parte principiantis non oportet quod sit dignitatis atque perfectionis ex parte principianti. Propterea, quia licet non sit nisi una dignitas et perfectio in divinis, tamen est alia ratio eius ut est in principio, alia ut est in principiatio; semper enim aliquid in principio sub ratione maioris unitatis vel aequalis natum est esse quam in principiatio.

QUAESTIO 3

UTRUM AB ILLA PERSONA IN DIVINIS QVAE NON EMANAT AB ALIA
EMANET ALIQUA ALIA

Circa tertium arguitur quod in divinis ab illa persona quae non est emanans ab alia non emanat aliqua alia. Primo sic. Necesse esse, ut habitum est supra in quaestionibus de unitate Dei, non convenit nisi uni soli nec potest plurificari; quare cum nihil sit in Deo quin sit necesse esse, non est ergo magis ratio eius quod est necesse esse in Deo ex parte essentiae quam ex parte personae. Cum ergo de ratione essentiae in Deo est quod ipsa divina essentia plurificari non possit ut emanet ab ipsa alia essentia divina, quia est in se quoddam necesse esse, ut habitum est supra, similiter et de ratione personae, quae non est ab alia in Deo, est quod ipsa persona quae non est ab alia plurificari non possit ut emanet ab ipsa alia persona divina. Ergo etc.

Secundo sic. Ut dictum est ibidem, impossibile est idem esse necesse esse a se et ab alio. Quare cum in divinis non sit persona quae non sit necesse esse a se, quia tunc ex se posset esse et non esse, ergo non est in divinis persona quae habet esse ab alia.

Tertio sic. Si a persona quae in divinis non est ab alia emanet alia persona, cum ipsa sit Deus, et ab ipsa non emanet alia nisi per producti-

onem intra manentem, quia productione transeunte extra emanant creaturae, de qua non est hic sermo, illa ergo persona quae emanat ab illa, aut est Deus, aut non est Deus. Sed neutrum est ponere. Ergo etc. Non quod non sit Deus, cum productio divina nihil producit nisi in ipsa divina substantia. In divina autem substantia nihil potest produci nisi qui Deus est. Non quod est Deus, quia tunc Deus produceret Deum. Ergo aut se Deum, aut alium a se Deum. Non se Deum, quia nulla res se ipsam producit dicente AUGUSTINO, I^o De Trinitate cap.^o 1^o: «Nulla res est quae se ipsam gignit ut sibi». Et per eandem rationem neque alia aliqua actione producit ut sit. Non similiter alium a se Deum, quia sic non tantum esset unus Deus, quod falsum est secundum supra determinata.

Item. «*Si Deus producit Deum, aut ergo producit Deum qui est Deus Pater, aut qui non est Deus Pater. Si secundo modo, ergo ille qui productus est Deus est qui non est Deus Pater. Non est ergo, ut prius, tantum unus Deus. Si primo modo, ergo producit se ipsum, quod est impossibile.*» Ergo etc.

Item. Si persona quae non emanat ab alia producit Deum, aut ergo quia est Deus, aut quia est innascibilis et non ab alia producta. Non quia Deus, quia cum Deus, ut dictum est, non producit nisi Deum, eadem ratione ille productus Deum produceret, et ille productus similiter, et essent personae divinae infinitae. Non quia innascibilis, quia tunc innascibilem produceret, quia productio divina est perfectissima, cuius non est nisi sibi simillimum producere.

Item. Verum in divinis est necessarium, quia in Deo nihil est contingens. Si ergo haec est vera “Deus generat Deum”, ipsa est necessaria, quare negativa sibi respondens est impossibilis “Deus non generat Deum”. Hoc autem falsum est, quia sicut illa “Deus generat Deum” est vera pro persona solius Patris, et ista “Deus non generat” pro persona Filii et Spiritus Sancti.

Item. Si Deus produceret Deum, cum producere et produci relationes distinguentes in divinis important circa terminos suos, Deus ergo esset distinctus a Deo. Hoc autem falsum est. Ergo etc.

Item. Si Deus produceret Deum, aut ergo voluntate libera, aut natura aut necessitate, quia plures non sunt modi agendi. Non natura aut necessitate, quia Deus cum sit agens potentissimum perfecte dominatur suae actioni. Hoc autem solum convenit agenti libere et voluntarie, non naturaliter aut necessario. Similiter non voluntarie, quia actio productionis personae in divinis non potest non esse, «*quia in aeternis non differunt esse et posse*». Talis actio est necessaria necessitate naturae quare non voluntaria, quia voluntas et natura sunt ex opposito distincta, ut habetur VII^o Metaphysicae.

Item. Si Deus producat Deum, aut ergo de nihilo, aut de sua substantia, aut de aliqua substantia aliena. Non de nihilo, quia tunc productio divinae personae creatio esset et esset ipsa persona producta creatura, non Deus. Non de sua substantia, quoniam illud de quo aliquid generatur est in potentia ad illud et per agens exiret ad actum. Substantia divina, quae est substantia Patris, cum sit pura forma, purus actus est, et ita ad nihil est in potentia; ergo etc. Non de substantia aliena, quia non esset Patri consubstantialis.

<Item. Si Deus producit Deum, aut ergo semper producit eum, aut non semper, quia inter semper et non semper non est medium. Non potest dici quod non semper, quia sic non esset productio aeterna, cum haberet finem, quod est contra rationem productionis immanentis divinae. Si dicatur quod Deus producit Deum semper, tunc sic. Quod actio producendi non cessat, hoc non est nisi quia non est aliquid perfecte productum. Hoc est inconveniens ponere in Deo. Ergo etc.

Item. Si Deus producit Deum, aut ergo pro essentia aut pro supposito. Non pro essentia, quia essentia nec principiat aliquid per se, nec ipsa ab alio principiat, ut supra diximus. Non pro supposito, quia in Deo non est nisi suppositum relativum, quod secundum PHILOSOPHUM V^o P H Y S I C A E, non potest esse principium nec terminus actionis. Ergo etc.>

Tertio ad principale sic. «*Actus nobilissimus non est nisi propter se ipsum, non propter aliquid*», secundum PHILOSOPHUM I^o et X^o E T H I C O - R U M. Actio Dei manens intra se nobilissima est, quia circa nobilissimum obiectum quod est divina essentia, sive in intelligendo sive in volendo sive quocumque alio modo agendo. Ergo actio divina manens intra est propter se et in se perfecta non propter aliquid actum sive productum, sed omnis actio, per quam aliquid producitur, est propter ipsum productum. Ergo etc.

Quarto sic. Emanatio significat fieri quoddam sive motum sive exitum quae in divinis penitus esse non potest. Ergo etc.

Quinto sic. Si in divinis ab illa persona quae non habet esse ab alia habet emanare alia, ergo aut emanat ab illa procedendo de non-esse ad esse, aut de esse ad esse, et hoc de eodem esse in idem esse aut de alio esse in aliud. Non primo modo, quia tunc persona in divinis emanans ab alia incepisset esse, quia omne procedens de non-esse in esse incipit esse. Non secundo modo, quia tunc circa illam esset mutatio. Et non tertio modo, quia tunc haberet esse antequam produceretur in esse, quod est impossibile. Ergo etc.

In contrarium est quoniam si a persona, quae in divinis a semet-ipsa est, non emanaret alia, cum ipsa non possit esse nisi unica, ut iam

ostensum est, non esset ergo in divinis nisi unica persona et ideo non nisi absoluta, cuius contrarium supra ostensum est.

<SOLUTIO>

Quaestio ista non quaerit nisi utrum in divinis sit aliqua emanatio quae est actio divina manens intra qua una persona nata est procedere ab alia, large sumendo procreationem ut communis est ad generationem et spirationem. Et est dicendum quod sic necesse habet ponere fides catholica, quamquam sit difficile eam hoc mysterium capere, et hoc primo ratione accepta ex ratione personae. Ex quo enim persona, quae in divinis non est ab alia, non est constituta in sua personalitate nisi ex respectu ad aliam a qua distinguitur, quarum alietas non potest sumi nisi penes rationem originis unius ab alia secundum praedeterminata. Origo autem unius ab alia non est nisi per actum emanandi unam ab alia, non extra transeuntem, quia hoc est proprium emanationis creaturae. Oportet igitur ponere in divinis actum emanationis, et hoc unius personae ab alia manentem intra, et hoc ab illa quae non emanat ab aliqua ne sit processus in infinitum, ut habitum est supra. Si enim in divinis sit actus emanationis, illud quod per ipsum emanat intra, necessario est persona subsistens, quia in divina essentia nihil potest esse productum inhaerens, et propter divinae emanationis perfectionem oportet esse simillimum producenti. *«Secundum diversitatem enim naturarum, diversitatem oportet esse modorum emanandi in rebus, et quanto natura est altior, tanto emanans in ipsa perfectius est et magis intimum, ut patet procedendo ab emanatione in infima natura inanimata, scilicet ut ignis ab igne usque ad generationem quae habet esse in supremis».*

Ad idem est ratio accepta ex ratione divinae naturae quod est summe activa et ideo sui ipsius summe diffusiva. Summa autem diffusio non est nisi per emanationem communicando alteri suam naturam in diversitate personae. Unde RICARDUS, aspiciens ad emanationem in creaturis, dicit I^o De Trinitate cap.^o 9^o: *«Qui huic naturae fructum fecunditatis donavit, in se omnino sterilis manebit?»* Quasi dicat nequaquam, quia dicitur Isaiae ultimo: *«Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? si ego qui generationem ceteris tribuo sterilis ero? ait Dominus Deus».*

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod *«necesse esse plurificari non potest, quare si essentia non potest plurificari in Deo, quia est necesse esse neque persona*

similiter», dicendum quod verum est secundum eandem rationem esse; secundum tamen diversam rationem esse non est inconueniens. Unde quia esse essentiae in Deo non potest esse nisi unius rationis sicut neque ipsa essentia; esse autem personae, non loquendo de esse essentiae vel existentiae sed de esse subsistentiae, potest esse plurium rationum. Idcirco licet necesse esse in Deo non potest plurificari ex parte essentiae ut in ipso ponantur plures dii, potest tamen necesse esse plurificari ex parte personae ut in ipso ponantur personae plures, non secundum unam rationem personae ut sint plures innascibiles aut plures nati, sed secundum plures rationes personales.

Ad secundum quod *«in divinis non est persona quin sit necesse esse et hoc ex se, ergo non habet illud ab alio»*, dicendum ad hoc, secundum praedicta in quaestionibus de esse Dei, quod dictum illud “necesse esse ex se non potest habere necesse esse ab alio”, illud solum verum est de necesse esse quod habetur ratione essentiae, quia ab alio esse principia- tive repugnat divinae essentiae. Quod enim ratione essentiae habet esse ab alio, Deus esse non potest, ut habitum est supra secundum AVICENNAM in quaestionibus de unitate Dei. De necesse esse quod habetur ratione personae, non est verum. Sic enim Filius et Spiritus Sanctus habent necesse esse ex se formaliter, licet ab aliquo principia- tive, ut expositum est supra circa esse Dei et amplius exponetur infra.

Ad tertium quod *«persona producta ab illa quae non est ab alia, aut est Deus aut non Deus»*, dicendum quod est Deus. Et sic concedendum est quod illa est vera “Deus producit Deum”, quia licet hoc nomen quod est ‘Deus’ significat solam essentiam simpliciter, significat tamen eam per modum suppositi in communi, scilicet ut habens in se deitatem, et ideo supponit pro supposito. Et secundum hoc potest verificare locutio- nem pro alio et alio supposito in subiecto et praedicato, ut cum dicitur “Deus producit Deum”, quia Deus Pater Deum Filium, ut exponit MAGISTER SENTENTIARUM formando quaestionem de generatione. Sed nos generalius eam proponimus ut communiter sub ipsa compre- hendamus generationem et spirationem et in summa tractemus hanc materiam. Unde si ‘Deus’ non supponeret nisi idem sicut non significat nisi idem, falsa esset sicut illa est falsa “essentia generat essentiam”, quia non nisi idem significat et supponit. Et penes hoc fundamentum procedunt rationes MAGISTRI, I^o SENTENTIARUM distinctione 5^a in primis quatuor capitulis, quibus probat quod essentia nec generat nec genera- tur. Cuius causa est quia non potest habere rationem suppositi nec in significando nec in supponendo, nec etiam extendi potest ad rationem suppositi sicut extenditur lumen et sapientia, eo quod de suo significato ponunt rationem diffusivi, non autem substantia aut essentia; propter

quod non potest dici essentia de essentia sicut lumen de lumine. Et quod assumitur «*ergo aut se Deum aut alium a se Deum*», respondet MAGISTER I^o Sententiarum, distinctione 4^a cap.^o 1^o, dicendo quod «*neutrum concedendum est*», quia utraque est falsa et neutra sequitur ex prima, quia non est divisio per immediata. Est enim media propositio inter illas propter quam illa prima est vera, scilicet quia producit alium a se qui est Deus, non autem alius sed idem Deus cum generante. Unde ALIQUI distinguunt hanc “producit *alium Deum*”, quod li ‘alium’ possit *teneri adiective*, et tunc esset *falsa*, quia li ‘alium’ dicit in generali diversitatem quae determinatur per substantivum adiunctum notando *alietatem* in eo quod significatur per substantivum, et sic in proposito notat *alietatem* in deitate. Vel *substantive*, et tunc *vera*, quia tunc dat intelligere suppositum pro suo substantivo, et notat solum alietatem in personalitate, et incidit in sensum quem dicimus medium.

Sed sensus iste violenter est extortus faciendo subdistinctionem post li ‘alium’. Unde de virtute sermonis solummodo sensum falsum praetendit. Nec valet distinctio ad propositum, licet possit valere in se et in alio proposito ubi absque subdistinctione posset utrumque sensum praetendere. Si enim arguatur sic “Deus generans est Deus genitus, ergo idem est Deus generans et Deus genitus, ergo a simili Deus generans non Deus genitus, ergo alius est Deus generans et Deus genitus”, quia li ‘alius’ potest teneri substantive et notare alietatem in persona, sic est ista vera “alius est Deus generans et alius Deus genitus” et repetendum est ‘alius’ in hac secunda parte copulativae et sequitur ex prima, quia verificatur negativa pro suppositis. Vel potest teneri adiective, ut suum substantivum — sit li ‘Deus’ — sic notat alietatem in substantia, et est falsa, ut patet, et ideo non sequitur ex prima. Et consimili modo posset distingui illa conclusio “idem est Deus generans et Deus genitus” et contrario modo vera et falsa; et uno modo sequitur ex praemissis, alio vero modo non.

Unde quia in proposito non valet illa distinctio ex parte li ‘alium’, ideo dicit PRAEPOSITIVUS quod dicit alietatem tam in substantia quam in persona, quia alietas in substantia non est sine alietate in persona, ut sit sensus: «*produxit alium Deum*, id est *alium* in persona et *alia deitate Deum*». Unde statuit regulam quod «*sicut relatio identitatis refert per identitatem significatum et appellatum* propter quod illa est *falsa* “produxit se Deum”» quia sensus est: produxit se in eadem personalitate et in eadem deitate Deum. Ex quo apud veteres inolevit regula talis: «*non habet locum omnimoda unio ubi simul cum unione est distinctio*». Consimiliter «*relatio diversitatis refert per diversitatem signatum et appellatum*», et notat differentiam secundum utrumque. Propter quod «*illa est falsa* “produxit

alium a se Deum?», ut dictum est. Sed quaelibet earum falsa est contrario modo pro altera parte copulativae. Prima propter identitatem in persona quam refert li ‘se’, secunda propter alietatem in substantia quam refert li ‘alium’.

Propter quod coniungendo partes pro quibus singulae habent veritatem constituitur ex ambobus propositio tertia media et vera praedicta, quia produxit alium a se in persona, et hoc ex secunda qui est Deus, et hoc ex prima. Et est sic media propositio accipienda in divinis ratione materiae propter substantiae identitatem in pluralitate personarum; quod non esset necessarium in alia materia ut in creaturis, ubi diversitas personae necessario ponit diversitatem substantiae. Ut si homo producat hominem et quaeratur “aut ergo se hominem aut alium a se hominem”, illa simpliciter danda est “alium a se hominem”, quia producit alium in persona et substantia, et contraria propter ambo simul neganda. Quare nec producit se secundum identitatem personae neque secundum identitatem substantiae.

Propter quod non est media propositio accipienda in creaturis sicut in divinis, in quibus etiam non esset propositio media accipienda, si divisio fieret per contradictoria quaerendo “aut ergo produxit se Deum aut non se Deum” et est concedenda ista “non se Deum” propter diversitatem in persona; sive quaerendo “aut ergo alium a se Deum aut non alium a se Deum” et est concedenda ista “non alium a se Deum” propter identitatem substantiae. Ex quo inolevit alia regula antiquorum praedictae contraria talis: «*Non habet locum omnimoda divisio ubi non est ex diversis causis unio*».

Illam autem mediam propositionem accipendam in divinis expressit AUGUSTINUS cum dixit de Patre in epistola Ad Maximum: «*Genuit de se alterum se*», id est secundum quod exponit MAGISTER I^o Sententiarum distinctione 4^a in fine: «*genuit alterum*, scilicet in persona qui est hoc quod ipse est», scilicet in substantia. Nam etsi alius Pater sit quam Filius, non tamen aliud sed unum, ut hoc “quod est qui est hoc quod ipse est” sit expositivum eius quod est ‘se’, ut li ‘se’ intelligatur esse neutri generis et reciprocativum substantiae circa personam Patris dando illam intelligi circa substantiam. Unde concedenda est illa “Pater genuit alterum se”, sicut ista “Pater genuit hunc qui est id quod ipse”, propter identitatem enim substantiae est quasi ipse.

Propter quod etiam ut propria recipienda est illa quam profert AUGUSTINUS, XV^o libro De Trinitate: «*tamquam se dicens Pater Verbum genuit*». Et secundum hunc modum propter amoris conformitatem dicit PHILOSOPHUS, VIII^o Ethicorum, quod «*amicus amico est alter ipse*». Et poeta dilectam suam finxit esse se ipsum ubi dixit: «*dii*

faciant sine me ne moriatur ego. Est igitur in dictis illis AUGUSTINI sermo proprius et verus quantum est ex parte rei, sed non quantum est ex parte sermonis. Quia, ut dicit SIMON TORNACENSIS, ‘alterum’ ibi intelligitur esse masculini generis, et ita personale, ‘se’ vero neutri generis, et ita essenziale. Et sic invenitur ibi ex parte sermonis improprietas, sicut ibi «*semini tuo qui est Christus*», quia relativum non conformatur suo antecedenti in genere. Si autem mutemus hoc masculinum ‘hunc’ in hoc neutrum quod est ‘illud’, et dicamus «*Pater genuit illud quod ipse est*», secundum quod dicit AUGUSTINUS in sermone de symbolo, proprie loquendo sermo falsus est, quia sequitur quod genuisset divinam essentiam, secundum quod arguit MAGISTER I^o Sententiarum distinctione 5^a cap.^o 3^o. Unde ut veritatem habeat exponendus est et extendendus commutando neutrum in masculinum, secundum quod MAGISTER exponit dicendo «*Pater genuit illud quod ipse est, id est Filium qui est illud quod Pater est. Nam quod Pater est, et Filius hoc est, sed non qui Pater est et Filius hic est*».

Si autem sumamus relativum medio modo, quod non refert simul personam et substantiam, ut facit pronomen ‘se’ propter reciprocationem, neque solam substantiam sicut facit li ‘illud’, quia neutri generis est, sed quod indifferenter possit referre unum vel alterum, illa bene potest recipi. Secundum enim quod dicit ANSELMUS in *Proslogion*: «*cum dicitur Deus de Deo, non intelligimus alium Deum sed eundem de se ipso*». Si vero mutetur neutrum pronominis in rem nominis dicendo quod «*essentia est de essentia, aut substantia de substantia*», secundum quod dicit AUGUSTINUS, VII^o et XV^o De Trinitate, et habetur cap.^o 5^o, proprie loquendo sermo est simpliciter falsus et nimium extensus et exponendus violenter; secundum quod exponit MAGISTER cap.^o 6^o, «*id est Filius qui est substantia*» seu essentia, de Patre qui est substantia seu essentia.

Et hoc modo vel consimili exponendae sunt omnes propositiones et dicta sanctorum quae insinuant essentiam generantem aut genitam, secundum quod auctoritas HILARII ad hoc adducta in 5^o cap.^o exponitur in 8^o. Et cum assumitur in secundo medio, «*aut ergo produxit Deum qui est Deus Pater aut qui non est Deus Pater*», MAGISTER Sententiarum hic respondet confuse, distinctione 4^a cap.^o 2^o. Facit enim differentiam in membris dividendis apponendo in praedicto li ‘Deus’ cum eo quod est Pater, vel non apponendo dicendo «*Deum qui est Pater vel qui non est Pater*» et dicendo «*qui est Deus Pater et qui non est Deus Pater*». Et simpliciter negat illam affirmativam «*Deum qui est Pater*», nullam penitus faciendo mentionem de illa «*Deum qui est Deus Pater*»; et concedit illam negativam «*Deum qui non est Pater*», et distinguit illam «*Deum qui non est*

Deus Pater. PRAEPOSITINUS autem in *Summa* sua dicit quod neutra est concedenda et quod ambae sunt falsae. Magistri in scriptis suis super hoc multiplices ponunt distinctiones.

Ut ergo totam evolvamus, sciendum quod ALIQUI distinguunt hanc negativam «*Deum qui non est Deus Pater*» quod li 'qui' potest referre li 'Deum' relatione simplici pro forma et essentia, vel relatione personali pro supposito. Primo modo est falsa; secundo modo vera. Quemadmodum si dicatur "video hominem qui non est dignissima creaturarum", si li 'qui' referat hominem simplici relatione pro significato, falsa; si vero personali relatione, vera est, ut patet. Et quamquam quandoque in dictis authenticis aut usitatis oportet ponere talem distinctionem, ut si demonstrata aliqua herba Romae dicatur "haec herba crescit in horto meo", vel si dicatur "mulier quae damnavit salvavit", eo quod pro personali demonstratione aut relatione veritatem habere non possent, de virtute tamen sermonis ibi locum non habet distinctio dicta, quia omnis demonstratio et relatio de vi sermonis personales sunt, dum dictio significans illud quod demonstratur aut ad quod fit relatio, stat pro supposito, et numquam sunt essentiales nisi simplex suppositio determinetur in dictione per aliquid sibi adiunctum; ut "hic homo est species et ipse est universale". Et hoc planum est de demonstratione, quia pronomen demonstrativum non demonstrat nisi quod ei est subiectum, nequaquam relativum refert nisi quod ei est praepositum, et secundum quod subiectum est et praepositum, quia ex se non nisi meram substantiam significat, cuius significatio cassa est et vana nisi determinetur per illud quod subest demonstrationi et quod praest relationi.

Quia ergo in proposito li 'Deum', dicendo «*Deus produxit Deum*», non potest ex se stare nisi pro supposito, nihil enim determinat personalem actionem nisi suppositum. Cum additur «*qui non est Deus Pater*», li 'qui' non potest ipsum referre nisi relatione sub hoc sensu: «*qui Deus productus non est Deus Pater*». Et huic concordat in *Summa* sua SIMONIS TORNACENSIS. Sed tunc MAGISTER *Sententiarum* dicit quod cum dicitur «*qui non est Deus Pater*», respectu huius verbi est, li 'Pater' potest esse appositum principale, et hoc nomen 'Deus' specificativum ipsius. Sic est vera sub hoc sensu: "produxit Deum *qui non est Pater, qui* quidem Pater *Deus est*", et est primum membrum distinctionis quam ponit MAGISTER et extorquet eum sensum, vel econverso, et sic est falsa sub hoc sensu: "produxit *Deum qui non est Deus qui est Pater*". Sed in rei veritate distinctio haec non potest hic habere locum. Cum enim, secundum PHILOSOPHUM, «*sermones inquirendi sunt secundum materiam*»; et secundum HILARIUM «*non sermoni res sed sermo rei debet esse subiectus*».

Cum ergo in proposito sermo non est nec intentio loquendi nisi de rebus divinis significatis, igitur per terminos hic ad praesens uti non debemus nisi ut rebus divinis determinantur.

Quare cum in divinis Deus est terminus quasi communis et generalis, et Pater quasi specialis terminus, ut dictum est supra et iam amplius dicitur infra, quodcumque autem appositio est inter generale et speciale, semper generali debet appositum esse speciale, non econverso, dicendo ‘animal homo’, non ‘homo animal’, «ne *fiat nugatio* in sermone», secundum PHILOSOPHUM. Unde alter sensus omnino extortus est in MAGISTRO ut per illum verificaret antecedens illud «*Deus producit Deum*». Et quia omnino obvianti omnino obvianum est, idcirco MAGISTER etiam extorquendo istum sensum ut satisfaciatur calumniae et obiectioni haereticorum distinguit illam negativam, ut dictum est, licet forte bene videbat quod non erat distinguenda. Sed adhuc in illo sensu quo li ‘Pater’ est appositum ad li ‘Deus’, ALIQUI distinguunt quod dicendo «*produxit Deum qui non est Deus Pater*», inter li ‘Deus’ et li ‘Pater’ necessario intelligitur qui est sub hoc sensu ‘Deum qui non est Deus qui est Pater’, et tunc illud ‘qui est Pater’ potest poni implicative, ut illud totum «‘*Deus Pater*’ teneatur *ditionaliter*, et *sit circumlocutio unius personae*, sicut hic quod dicitur *Spiritus Sanctus*», sicut dixit ALEXANDER in Summa sua, sic est vera et est idem dicere ‘Deum qui non est Deus Pater’ et dicere ‘Deum qui non est Pater’. Unde hoc membrum implicite tetigit MAGISTER cum concedit istam “genuit Deum”. Vel potest teneri relative et orationaliter, et sic est falsa sub hoc sensu «*Deum qui non est Deus qui Deus est Pater*», et est secundum membrum distinctionis quam ponit MAGISTER, et sensus extortus ab haereticis per quem volebant falsificare antecedens principale.

Sed revera nec ista distinctio valet, quia sicut in illa praecedente distinctione ille primus sensus est extortus, quia de virtute sermonis li ‘Pater’ debet esse appositum ad li ‘Deus’, non econverso, sic in ista distinctione iste secundus sensus est extortus, quia li ‘qui’, etsi subintelligatur propter appositivam conclusionem quam sermo praetendit, non tamen potest intelligi nisi implicative et sic amota omni distinctione in rei veritate non refert dicere “produxit Deum qui non est Deus Pater”, et dicere “produxit Deum qui non est Pater”. Unde nisi haeretici in illa “produxit Deum qui non est Deus Pater”, extorsissent unum sensum falsum ad destruendum illam “Deus generat sive producit Deum”, MAGISTER non distinxisset illam “Deus generat Deum qui non est Deus Pater”, extorquendo alium sensum verum ad confirmandum illam “Deus generat Deum” plusquam istam “Deus generat Deum qui non est Pater”, sed absolute concessisset illam “Deus generat Deum qui

non est Deus Pater”, et absolute negasset contrariam affirmativam ‘qui est Deus Pater’ sicut absolute concedit istam ‘qui non est Pater’, et negat illam ‘qui est Pater’. Et in rei veritate si negativa esset distinguenda, et affirmativa; et hoc sive Deus adiungatur illi quod est Pater, sive non, et contrario modo affirmativae et negativae sunt verae et falsae, ut patet inspiciendo omnes distinctiones praemissas. Et hoc ideo quia membra illius divisionis, «*si Deus produxit Deum, aut ergo Deum qui est Deus Pater aut qui non est Deus Pater*», divisio est per contradictorie opposita, quia omne quod est Deus, aut est Deus qui est Deus Pater, aut qui non est Deus Pater; et in contradictoriis regula generalis est si unum eorum dicitur multipliciter, et reliquum.

Unde multum peccat PRAEPOSITINUS cum dicit in *S u m m a* sua contra MAGISTRUM *S e n t e n t i a r u m* quod neutra illarum concedenda est sic inquit: «*Patet solutio argumenti quod in Sententiis invenitur, huiusmodi scilicet “Pater genuit Deum, ergo Deum qui est Pater vel Deum qui non est Pater”, neutra vera est. Haec est falsa “Deus genuit Deum qui est Pater”, quia hoc relativum ‘qui’ in affirmativa personam Filii refert quam hoc nomen ‘Deum’ supponebat, et Filius non est Pater. Et haec est falsa “Deus genuit Deum qui non est Pater”, quia in negativa relatio refert significatum et appellatum. Est ergo sensus: genuit Deum qui non est Pater, id est genuit Deum Filium qui non est Pater et cuius deitas non est Pater*». Unde etiam dicit quod haec est falsa: «*Deus generat qui non est Filius*», quia li ‘qui’ refert Deum non tantum pro persona Patris sed etiam pro eius deitate. Hanc vero dicit esse veram «*Deus generat et ipse non generatur*», quia nec Patris persona nec ipsa divina essentia generatur. Supponit autem falsum in sua responsione quod relativum aliud refert in negativa quam in affirmativa, quia tunc aliter negaret negatio quam affirmaret affirmatio, quod falsum est. Unde si antecedens tam in propositione affirmativa quam in negativa non supponit deitatem nisi ut est in supposito Filii, similiter relativum in utraque non refert deitatem nisi ut est in persona Filii; et sic negatio non negat ibi aliquid de deitate absolute nec habet aliquo modo sensum illum “deitas Filii non est Pater”, sed solummodo istum “Filius non est Pater”. Et hoc SIMON TORNACENSIS in *S u m m a* sua concedit cum MAGISTRO *S e n t e n t i a r u m* dicens sic: «*Deus Pater non genuit Deum qui est Pater*». Accusativus enim ‘Deum’ ibi supponit personam Filii et ‘qui’ refert eam.

Redeundo ergo ad primum dicimus simpliciter et absolute quod Deus produxit Deum qui non est Deus Pater, hoc est qui non est Pater, ut declaratum est. Et cum assumitur ulterius «*ergo Deus est qui non est Deus Pater*», bene verum est, quia Filius est qui non est Deus Pater. Et cum ex hoc ulterius concluditur «*non ergo unus tantum Deus est*», hanc MAGISTER

negat per hoc quod dicit: *«non tamen generat alterum Deum nec qui genitus est alius Deus est quam Pater, sed unus Deus cum Patre»*. Sed ad consequentiam non respondet quae apparens est, et tamen non tenet, quia consequens falsum est et suum antecedens verum, et ex veris, secundum regulam PHILOSOPHI, nihil sequitur nisi verum. Unde nisi fecisset calumnia et extorsio haereticorum, ut dictum est, ubi dixit: *«si vero additur “generat Deum qui non est Deus Pater”», non debuit dicere «hic distinguimus»* etc., immo debuit dicere: hic dicimus quod idem est dicere “generat Deum qui non est Pater” et “generat Deum qui non est Deus Pater”; hoc enim non refert, ut dictum est. Et tunc ut respondeat ad consequentiam et ad formam argumenti deberet addere, et quod ex hoc ultimo concluditur *«non ergo unus tantum Deus est»*, hic distinguimus, quia dupliciter potest intelligi *«non unus tantum Deus est»*. Potest enim illud nomen ‘unus’ substantive teneri et supponere illi verbo ‘est’ personaliter retento, sic est vera sub hoc sensu “non ergo unus tantum est Deus”, hoc est: non unus tantum in persona est Deus, immo plures in personis, scilicet Deus qui est Pater, et Deus qui non est Deus Pater, sed qui est Deus Filius. Et sic bene sequitur *«Deus est qui non est Deus Pater, non ergo unus tantum Deus est»*. Vel potest li ‘unus’ teneri adiective et essentialiter et determinare in praedicato illud substantivum ‘Deus’ retento li ‘est’ impersonaliter, sic est falsa sub hoc sensu *«non ergo unus tantum est Deus»*, hoc est non tantum est unus Deus in essentia, sed plures, ut alius Deus in essentia sit Deus qui est Deus Pater, et alius qui non est Deus Pater sed Deus Filius, quod intendebant haeretici. Et sic non sequitur ex prima propter fallaciam accidentis, quia li ‘Deus’ primo positum in antecedente cum dicitur “Deus est qui non est Deus Pater” tenetur personaliter. Aliter enim non esset vera, neque sequeretur ex illa “Deus generat Deum qui non est Deus Pater”. In conclusione vero cum dicitur *«non ergo tantum est unus Deus»*, tenetur essentialiter. Aliter enim haeretici non haberent suum intentum; nec posset concludi ex hoc oppositum primi antecedentis quod intendebant haeretici, ut patet consideranti.

Ad illud quod assumitur in tertio medio *«si Deus producit Deum, aut quia est Deus aut quia est innascibilis»* etc., dicendum quod ratione utriusque, scilicet ratione qua Deus innascibilis habendo aspectum ad actum productionis simpliciter a persona quae in divinis non est ab alia, de qua sermo est modo — licet alio et alio modo ratione qua Deus, quia deitas est elicitiva omnium divinarum actionum, ut habitum est supra — et ratione qua innascibilis, quia innascibile supponit proprietatem personae quae non est ab alia qua primo deitas determinatur ad actum emanationis simpliciter, ut inferius declarabitur. Propter quod ratione utriusque Deus producit Deum. Idcirco non omnis in quo est deitas

producit Deum, quia in ipso non est innascibilitas. Nec tamen sequitur quod Deus productus sit innascibilis sicut et Deus producens, quia natura perfectae productionis similiter est quod ex ratione qua productio est, non patitur eundem esse in persona producentem et productum, sive in Deo sive in creaturis. Ratione vero qua est perfecta productio in divina natura, non patitur productum esse omnino alium et diversum in natura a producente, ita quod quanto est perfectior tanto minorem alietatem patitur inter ipsos, et hoc in creaturis; et ubi est perfectionis infinitae nullam omnino, ut contingit in solo Deo. Unde in creaturis est identitas naturae inter generantem et generatum in uno communi secundum speciem; in Deo vero est identitas in uno singulari secundum rationem individui. Quod autem non patiatur eundem esse, hoc est ratione proprietatis determinantis principium elicitivum ad actum. Quod vero non patiatur esse alium vel non omnino vel nullo modo, hoc est ratione naturae quae est elicitiva actus; super illam autem non-identitatem producentis et producti fundatur eorum distinctio, et super illam identitatem fundatur eorum similitudo. Propter quod non sequitur quod licet simile producat simile secundum naturam quod generet simile secundum proprietatem; immo productio simpliciter requirit contrarium. Et sic innascibilis Deus generat similem secundum deitatem quia Deum, dissimilem autem et distinctum secundum innascibilitatem quia innascibilis producit natum. Et per hunc modum Socrates humanitate sua quia est humanitas simpliciter, generat hominem, non quia Socrates sed quia homo, quia vero est haec humanitas, generat alium hominem a se, et hoc quia Socrates est.

Ad illud quod assumitur in quarto medio, «si illa est vera pro Patre “Deus generat Deum”, et alia est vera pro Filio et Spiritu Sancto “Deus non generat Deum”» — et si velimus extendere medium — «si illa est vera pro Patre et Filio ‘Deus producit Deum’, ista similiter est vera pro Spiritu Sancto “Deus non producit Deum”», dicendum quod cum veritas propositionis non habet esse nisi ex virtute terminorum, et in termino non attenduntur nisi duo, scilicet significatum et suppositum, intellectus huius quaestionis dependet ex significato et suppositione huius termini ‘Deus’, quia licet veritas propositionis principaliter causetur ex significato termini, tamen secundum quod diversimode supponit suum significatum, vel pro ipso significato vel pro supposito, secundum hoc diversimode veritatem habet causare in propositione.

Est igitur sciendum primo ex parte significati quod universaliter omnis dictio categorematica significat idem, scilicet rem et naturam quae habet esse in supposito, vel ut quidditas et essentia eius, quemadmodum humanitas habet esse in Sorte, vel ut accidens eius ut albedo in Sorte.

Unde hoc nomen ‘Deus’ non significat nisi deitatem quam significat hoc nomen ‘deitas’, quemadmodum ‘album’ significat solam albedinem sicut et hoc nomen ‘albedo’, ita quod hoc nomen ‘Deus’, quantum est ex parte rei significatae, non significat aliud quam significetur hoc nomine ‘deitas’. Differunt autem solummodo in modo significandi, quia ‘Deus’ significat per modum suppositi sive subsistentis, dicente DAMASCENO. ‘Deus’ significat naturam ut in habente et ‘deitas’ per modum formae absolutae, sicut ‘album’ significat idem quod ‘albedo’, sed ‘album’ per modum inhaerentis, ‘albedo’ vero per modum formae absolutae. Et licet illud nomen ‘Deus’ significet per modum suppositi, non tamen significat aliquod divinum suppositum nec unum nec plura, quia ‘Deus’ non significat nisi absolute et per modum absoluti et absolutum. Nullum autem est suppositum in divinis quod non significet respectum et modum respectus, ut patet ex praedeterminatis. Et per hoc differt in significato et modo significandi ab hoc nomine ‘persona’, quia ‘persona’ significat relative et per modum relativi et non nisi relativum licet indeterminate, ut similiter patet ex supra determinatis. Unde et quia ambo indefinite supponunt pro tribus personis, hoc est differenter, quia hoc nomen ‘persona’ illas tres supponit per indifferentiam, et non aliquid commune nisi intentionale ad illas, ut similiter patet ex supra determinatis. ‘Deus’ autem, etsi supponit pro eisdem, supponit tamen primo et principaliter significatum et pro ipso suo significato quod est unum aliquid commune tribus, ut quoad hoc non differant in eo significatum et appellatum, sed cum alteri termino adiungitur in oratione, ratione adiuncti aliquando intelligitur supponere pro significato sive pro se ipso, aliquando pro supposito relativo in quo habet esse. Pro se ipso ut cum dicitur “Deus est communicabilis”; pro supposito ut cum dicitur “Deus generat”. Ita quod licet semper primo et principaliter supponat suum significatum et pro illo quantum est de se, in verificando tamen locutionem ratione adiuncti determinantis sibi acceptionem, aliquando primo et principaliter supponit pro supposito relativo uno vel pluribus, aliquando pro se ipso, secundum quod adiunctum natum est convenire Deo principaliter ratione suppositi, et sibi simpliciter ratione suppositi ut cum dicitur “Deus generat” et universaliter in actibus personalibus; aliquando e converso, ut cum dicitur “Deus creat” et sic universaliter in actibus essentialibus, quemadmodum in creaturis praedicata essentialia per prius conveniunt superioribus et per illa inferioribus, praedicata vero accidentaliter e converso.

Unde quia natura illa quam ‘Deus’ significat et supponit, unica est et singularis, et nulla propositio est in qua ponitur aliquis terminus principaliter cui denotatur aliquid inesse vel non inesse, sive in qua ipse

denotatur alicui inesse vel non inesse nisi insit vel non insit secundum id quod principaliter significat et supponit, aut principaliter ratione sui aut principaliter ratione sui suppositi; nulla igitur propositio in qua Deo denotatur aliquid inesse vel non inesse, sive convenire aut disconvenire, aut econverso in qua ‘Deus’ denotatur alicui inesse vel non inesse, convenire vel disconvenire nisi illud insit vel non insit, conveniat vel disconveniat Deo vel econverso ratione illius unici et singularis quod significat et pro quo supponit quantum est de se primo et principaliter. Si ergo verum est quod Deus creat aut generat, hoc non est nisi quia Deo simpliciter et absolute ratione singularis deitatis hoc conveniat, et licet propter determinationem acceptionis quam facit circa hoc nomen ‘Deus’, hoc non conveniat ei nisi ut est in aliquo vel in aliquibus suppositis relativis. Si autem verum est “Deus non creat aut non generat”, hoc non est nisi quia Deo simpliciter et absolute ratione singularis deitatis hoc non conveniat, et licet hoc conveniat ei secundum quod est in aliquo vel in aliquibus suppositis relativis.

Quare cum deitati singulari, ut singularis est, non potest aliquid simul convenire et non convenire, neque ipsa econverso simul convenire vel disconvenire alicui, idcirco quandocumque affirmativa verificatur in qua ponitur hoc nomen ‘Deus’, negativa simul verificari non potest nec econverso etiam etsi contingat quod pro aliquo supposito verificetur. Unde cum haec est vera “Deus creat”, haec non potest esse vera “Deus non creat”. Si haec est vera “Deus generat”, haec non potest esse vera “Deus non generat”. Si haec est vera “Deus est incarnatus”, haec non est vera “Deus non est incarnatus”. Nec est in hoc aliqua differentia sive Deo aliquid conveniat naturaliter et necessario in aliqua persona ut generare in persona Patris, sive in nulla persona ei conveniat necessario et naturaliter, dum tamen in aliqua persona ei conveniat saltem quocumque modo sit, ut esse incarnatum in persona Filii.

Unde ad determinationem quam praedicatum potest facere circa subiectum, non est hic attendendum principaliter, licet per hoc determinat hanc dubitationem PRAEPOSITINUS in Summa sua, sentiendo aliter quam diximus de suppositione huius nominis ‘Deus’, sic dicens: «*Notandum quod hoc nomen ‘Deus’ ubicumque supponit pro essentia, potest supponere pro persona vel personis, sed non convertitur, quia ex adiuncto supponit tantum pro persona, ut cum dico “Deus generat”, ibi supponit tantum pro Patre, quia talia sunt subiecta qualia permiserunt praedicata. Eodem modo et in negativa; unde haec est falsa “Deus non generat”*». Sed manifestum est quod contrarium dicti sui verum est, quia alicubi supponit pro essentia, ubi nullo modo potest supponere pro persona, ut cum dicitur “Deus est communicabilis”. Nullibi autem supponit pro persona quin ibidem

supponit pro essentia nisi restringatur ad supponendum pro persona tantum per immediatam implicationem dicendo sic “aliquis qui est Deus non generat”, ut Filius vel Spiritus Sanctus. Quamquam enim ex adiuncto per implicationem supponit tantum pro persona primo et principaliter verificando locutionem pro ipsa, simul tamen et supponit pro essentia. Non enim est verum Patrem generare quin verum sit Deum generare, quia non solum supponit Patrem, sed simpliciter supponit unum Deum simplicem, de quo verum est dicere quod generat et generatur, spirat et spiratur, licet locutio verificetur varie pro diversis suppositis primo et principaliter. Unde non sequitur istud argumentum “aliquis qui est Deus non generat, ergo Deus non generat”, propter fallaciam consequentis quasi ab inferiori ad superius negando universaliter. Sicut non sequitur “aliquis homo non currit, ergo nullus homo currit”, quia illa “Deus non generat” includit illam “nullus qui est Deus generat”. Et hoc quia iste terminus ‘Deus’, in quantum supponit pro suo significato quod est res singularis, et sic habet rationem termini proprii et facit propositionem singularem, licet in quantum natus est supponere pro suppositis relatis et ut est communis eis per communionem non per plurificationem, habet quodam modo rationem termini appellativi et facit quodam modo propositionem indefinitam. Et quoad hoc bene sequeretur “aliquis qui est Deus non generat, ergo Deus non generat”, sicut sequitur “aliquis homo sive aliquis qui est homo non currit, ergo homo non currit”. Sed in proposito reformat pactum quod eadem res singularis significatur hoc nomine ‘Deus’, quod et supponit pro illa uniformiter in negativa sicut in affirmativa, licet pro alio et alio supposito.

Hoc autem nomine ‘homo’ significatur eadem res universalis et supponere potest pro alia et alia re singulari in negativa et affirmativa et pro alio et alio supposito, et ideo hoc nomen ‘homo’ supponendo pro significato et pro supposito, pro alia re significata potest supponere in affirmativa quam in negativa, sicut et pro alio supposito. Hoc autem nomen ‘Deus’ etsi pro alio supposito, non tamen pro alia re significata. Quare cum propositio quae vera est pro supposito, etiam requirat veritatem pro significato ut sit vera simpliciter, ut dictum est, idcirco “ille homo currit”, “homo non currit” possunt simul esse verae simpliciter, quia et pro significato et supposito simul. Non autem istae “Deus generat”, “Deus non generat”, quia etsi pro supposito possint esse verae simul, non tamen pro significato, ut dictum est. Et sic ista propositio “Deus generat Deum” et ista “Deus non generat Deum” ratione deitatis quae plurificabilis non est pro qua li ‘Deus’ supponit et per modum subsistentis se habet, simul verae esse non possunt; immo

contradictoriae sunt, sicut istae duae “Sortes currit”, “Sortes non currit”. Nec differt in eis negatio praeposita et postposita, ita quod si vera esset negativa, hoc non esset nisi quia praedicatum disconveniret Deo simpliciter ratione suae deitatis, et sic oporteret quod disconveniret ei in quocumque supposito inveniretur, ut esset simul falsa ratione essentiae et cuiuslibet personae, quia scilicet Deus non generaret ratione deitatis simpliciter, nec ratione deitatis in aliquo supposito. Quod enim disconvenit deitati simpliciter significatae per modum subsistentis, disconvenit ei in qualibet persona propter unitatem eius in pluribus personis econtrario eius quod contingit in creaturis, quia essentia plurificatur in personis diversis. Si autem vera sit affirmativa, hoc est quia praedicatum convenit Deo simpliciter ratione suae deitatis, et sufficit quod simul conveniat ei ut est in aliquo supposito, licet disconveniat ei ut est in aliis.

Ad illud quod obicitur quinto: «*si Deus produceret Deum, ergo Deus esset distinctus*, quia productio activa et passiva important *relationes distinguentes* inter *terminos*», dicendum iuxta iam exposita quod in quolibet termino est considerare illud quod significat, et est solummodo suum significatum, et est considerare pro quo supponit, et hoc est illud pro quo reddit locutionem veram. Sed pro alio potest terminus supponere et reddere locutionem veram dupliciter: vel primo et principaliter, vel secundo. Primo modo supponit hoc nomen ‘Deus’ suum significatum per modum suppositi. Secundo autem modo in propositione “Deus generat Deum” supponit principaliter et primo hoc nomen ‘Deus’ in subiecto pro supposito relativo Patris, et hoc nomen ‘Deum’ in praedicato pro supposito relativo Filii. Tertio autem modo supponit pro ipsa essentia. Cum ergo dicitur quod «productio activa et passiva important *relationes distinguentes* inter *terminos suos*», verum est, sed tantum inter illos pro quibus primo et principaliter verificatur locutio et in quantum verificatur pro illis, non autem pro illo pro quo verificat locutionem secundo et in quantum pro illo verificat. Quare cum, ut dictum est, propter determinationem actus producendi, li ‘Deus’ supponit verificando locutionem pro Patre, et li ‘Deum’ pro Filio primo et principaliter, licet secundo pro essentia; distinctionem igitur notat pro ipsis personis et non pro ipsa essentia. Sed cum exponitur dicendo «*Deus distinguitur*», li ‘Deus’ primo et principaliter supponit pro essentia, quia li ‘distinguitur’ non denotat sibi aliquam personam determinate, et semper in tali locutione principaliter supponit et denotat locutionem verificari pro essentia ut significatur hoc nomine ‘Deus’ per modum suppositi, et etiam si significaret non solum per modum actionis — grammatice loquendo sicut significat hoc verbum ‘discernere’ — sed veram actio-

nem et per modum actionis sicut significat hoc verbum ‘creat’ dicendo “Deus creat”. Propter quod non sequitur ulterius «notat distinctionem inter terminos, ergo inter Deum et Deum», ut ponatur distinctio intelligi circa Deum ratione deitatis, immo esset fallacia figurae dictionis ex commutatione suppositionis. Supponit enim li ‘Deus’ principaliter pro persona Patris vel Filii aut utriusque simul, cum dicitur “Deus producit Deum”; e converso autem pro essentia principaliter, cum dicitur “Deus discernitur”.

Quod arguitur ulterius: «*si Deus producit Deum, aut ergo voluntate aut natura aut necessitate*» etc., ad huius dissolutionem sciendum quod Deum producere Deum necessitate, natura aut voluntate, dupliciter potest intelligi, quia li ‘necessitate’, ‘natura’ et ‘voluntate’ possunt teneri nominaliter vel adverbialiter. Si nominaliter, sic sunt ablativi et dicunt rationem originandi actum productionis in originante; et hoc modo Deus non producit Deum necessitate, quia necessitas, quae est ratio producendi alia a natura, non est nisi principium extra quae dicitur necessitas coactionis. Et de tali modo necessitatis intelligebant haeretici quando quaerebant utrum Pater genuit Filium necessitate vel ambo producerent Spiritum Sanctum de necessitate, de qua dicit HILARIUS De synodis: «*Si quis nolente Patre dicat generari Filium, anathema sit; non enim nolente Patre coactus est Pater, vel necessitate naturali ductus cum nollet genuit Filium*» et AUGUSTINUS Ad Orosium quaestione 7^a: «*Necessitas in Deo non est*». Si vero praedicta tria sumantur adverbialiter, ut sint idem quod necessarie et voluntarie et naturaliter, sic dicunt solummodo productionis modum. Sic in omni modo productionis Deus producit Deum de necessitate non alicuius indigentiae, iuxta quod dicit HILARIUS, De synodis XL^o: «*Nulla necessitate naturali ductus Pater genuit Filium*» — neque consimiliter ambo produxerunt Spiritum Sanctum aliqua necessitate; — de tali etiam necessitate quaerebant haeretici. Sed cum, secundum ANSELMUM II^o libro De libero arbitrio: «*duplex sit necessitas, scilicet quaedam praecedens quae est causa ut sit res, et necessitas sequens quam res facit*»; utroque modo cadit necessitas quae dicit modum productionis in divina productione. Dicitur autem «*praecedens necessitas ab ipsa causa ut sit res*», quia est modus actus, ex eo quod est ratio et principium actus, quemadmodum caelum dicitur necessario moveri, quia de necessitate suae formae movetur, et similiter ignis de necessitate calefacit, quia de necessitate naturali suae caliditatis. Dicitur autem «*necessitas sequens quam res facit et quae nihil efficit*», quia est modus actus non ex eo quod est ratio et principium ipsius actus, sed ex conditione ipsius actus. Et haec secunda potest esse ubi non est prima, ut cum dico te ex necessitate loqui quando loqueris; ut enim dicit ANSEL-

MUS: «*cum hoc dico significo nihil facere posse ut dum loqueris non loquaris, non quod aliquis cogat te ad loquendum*».

Sed ubi est prima necessitas, necessario est secunda. Et potest prima harum necessitatum appellari necessitas efficientiae, secunda vero existentiae. Prima necessitate, secundum philosophos, dicitur caelum de necessitate moveri, quia habet causam necessariam effectivam motus eius. Secundo modo dicitur caelum moveri de necessitate quia non potest esse ut non sit motus in caelo, et loquens cum loquitur de necessitate loqui, quia non potest esse ut aliquis dum loquitur non loquatur. Primo modo Deus producit Deum de necessitate, et haec necessitas a QUIBUSDAM appellatur «*necessitas immutabilitatis*» et ab ANSELMO appellatur «*necessitas invertibilitatis servandi constantiam*». Sed secundum quod natura et volutate sumuntur adverbialiter, hoc modo ambo concurrunt in omni productione Dei de Deo, quia Deus Deum naturaliter et voluntarie generat et similiter spirat. Quia enim Deus nihil agit nisi ut natura intelligens et voluntaria, cuius natura non patitur violentiam aut indigentiam, cuius intellectus non errat per ignorantiam, cuius voluntas non impeditur per impotentiam, et sunt penitus idem re in Deo pertinentia ad attributa essentialia secundum rationem praecedentia ut fundamenta et principia actuum personalium, impossibile est quod in Deo aliquid agat natura quod non sciat et intelligat per intellectum, et quod non velit sive in ipsum non consentiat per voluntatem, neque volutate de ipsa sua substantia quin natura concurret et intellectus sciat.

De hoc autem minus dubium est in productione Spiritus Sancti ab utroque, quod scilicet productio eius sit natura et intellectu cum hoc quod est voluntate quam Filii a Patre, scilicet quod productio eius cum hoc quod est natura et intellectu, sit etiam voluntate, quia illa est modo voluntatis et ista modo naturae et intellectus, ut infra videbitur. Natura autem et intellectus ratione absolvi possent a voluntate et agere sine illa, quia ordine quodam rationis natura et intellectus in Deo praecedunt voluntatem, ut iam visum est supra et amplius videbitur infra, non econverso dicente AUGUSTINO Ad Orosium: «*Praeire voluntas sapientiam non potest*».

Propter quod auctores magis sollicitè affirmabant productionem Filii cum hoc quod est natura et intellectu etiam esse voluntate. In hoc enim haeretici magis errabant, ut patet per MAGISTRUM, I^o Sententiarum distinctione 6^a per totum. Hinc dicit HILARIUS De synodis: «*Eos qui dicunt quod neque consilio neque voluntate Pater genuit Filium anathematizat sancta Ecclesia*». Et RICARDUS, VI^o De Trinitate cap.^o 17^o: «*Producenti qui est ipsa omnipotentia idem est de se alium producere quod ex*

ordinatissima causa idipsum velle, ex principaliori autem causa id velle idem est quod generare. Nam cum uterque procedendi modus constet in voluntate, differunt tamen pro causae alteritate. Unde et in causa principaliori consistit principalior modus procedendi. Vultis super his audire verbum abbreviatum? Ingenitum velle habere sibi conformem, idem mihi videtur quod gignere Filium; tam genitum quam ingenitum velle habere condilectum, idem mihi videtur quod producere Spiritum Sanctum». Et cap.º 18º: «Videtur mihi esse Deo Patri Filium gignere quod personam de persona sua naturaliter et pro voto producere».

Est autem advertendum quod licet ambo, natura scilicet et voluntas, simul concurrunt in duplici productione Dei de Deo, non tamen eodem modo sed diversimode secundum quod differunt principia elicitiva illarum productionum. In productione enim principali quae est generatio quae elicitur a principio quod est natura, Deus producit Deum naturaliter primo et principaliter, voluntarie vero secundario et consequenter. In productione secunda, quae est spiratio, econverso vis elicitiva actus est voluntas ut est potentia libera, naturalis tamen necessitas impellens est in actum. In generatione enim vis elicitiva actus est intellectus ut est natura, naturali impetu impellens in actum, in spiratione vero econverso. Sed in generatione voluntas est coniuncta naturae ut consentiens naturae in actu generationis. In spiratione vero natura est coniuncta voluntati ut inclinans cum voluntate in actum spirationis. Et sic generans primo et principaliter generat naturaliter, voluntarie autem concomitanter, econverso autem spirans spirat.

Sed tamen aliter et aliter voluntas est coniuncta naturae in generatione, et natura voluntati in spiratione, quia voluntas in generatione est coniuncta naturae non ut coagens sed ut complacens in actione; natura autem in spiratione est voluntati coniuncta ut naturali quasi impetu voluntatem liberam inclinans in sua actione, ut propterea ambae emanationes naturales dici possunt. Propter quod dicit RICARDUS, VIº De Trinitate cap.º 1º quod «*in divinis nihil est iuxta donum largientis gratiae, sed totum iuxta proprietatem exigentis naturae*» et HILARIUS, Vº De Trinitate: «*Ex virtute naturae in eandem naturam subsistit Filius nativitate. Et ex virtute naturae in eandem naturam processione subsistit Spiritus Sanctus*».

Quod ergo inducebatur in argumento quod «*Deus non producit Deum natura aut necessitate quia producit eum libere*», dicendum quod libere producit et ita voluntarie, sed voluntate consentiente non eliciente in prima productione et per hoc voluntarie, dicente RICARDO, libro VIº cap.º 3º: «*Hoc proculdubio erit ei prolem producere in eo ipso sibi per omnia complacere*». Per quod non excluditur quin a natura, et per hoc etiam necessario et naturaliter sed secundum modum necessitatis qui dictus est

cadere in Deo. Voluntate autem eliciente in secunda productione et per hoc voluntarie per quod non excluditur a natura concomitante, et per hoc naturaliter et necessario, ut patet ex iam dictis et in sequenti quaestione amplius declarabitur. Quod autem additur quod «*natura* sive necessitas et voluntas ex opposito distinguuntur et in eadem actione non concurrunt», dicendum quod voluntas operatur aut ut libera absolute aut ut libera arbitrio. Isto secundo modo non concurrunt in eadem actione natura sive necessitas et voluntas. Sic autem Deus nihil operatur voluntate intra se sed solum circa creaturas. Et secundum hoc HILARIUS De synodis et ANSELMUS II^o Cur Deus homo: «*nulla est in Deo facienda vel non facienda necessitas*». Item, ANSELMUS ibidem: «*In Deo sola operatur voluntas*». Primo autem modo bene concurrunt in eadem actione, ut supra determinatum est de voluntate Dei, licet non eodem modo ut iam declaratum est hic.

Quod vero adducebatur quod «*Deus non producit Deum voluntate* sive voluntarie, *quia productio talis non potest non esse*», potest responderi modo iam dicto, distinguendo de voluntate penes modum diversum quo voluntas concurrat ad actum generandi et spirandi, econtrario tamen natura. Penes hoc enim accipitur distinctio magistralis quod est quaedam voluntas antecedens, quaedam vero concomitans, prima in spiratione, secunda vero in generatione. Sed haeretici Eunomiani, ut dicit AUGUSTINUS XV^o De Trinitate cap.^o 20^o: «*cum non potuerunt intelligere nec credere voluerunt Dei Filium esse natura genitum, Filium voluntatis dixerunt eum esse, volentes asserere antecedentem voluntatem*», qua scilicet ut principio elicitive gigneret Filium. Propter quod MAGISTER, 6^a distinctione cap.^o 6^o, appellat eam efficientem et non solum antecedentem ordine ut principium principiatum sed tempore, intelligendo voluntatem illam non solum antecedentem originaliter sed etiam antecedentem de novo aut ipsi volenti, sicut nos aliquando volumus quod antea non volebamus, aut ipsi operi sive rei operatae, sicut Deus voluit aliquando creaturam de novo producere quam antea producere noluit; quod dixerunt ut ostenderent Filium Dei esse creaturam. Contra quos dicit AUGUSTINUS super epistolam Ad Ephesios super illud cap.^o 1^o: «*Praedestinavit nos*»: «*De domino nostro Iesu Christo dictum est, quia cum Patre semper fuit, et numquam eum ut esset voluntas paterna praecessib*».

Ad sequens: «*si Deus producit Deum, ergo de aliquo aut nihilo*» etc., dicendum quod non de nihilo sed de aliquo, nec de substantia aliena, sed de substantia producentis. De aliquo oportet poni esse productum omne quod producitur in divinis; de nihilo autem non potest dici productum quod in divinis producitur, quoniam li 'nihil' cum dicitur aliquid esse de nihilo, secundum ANSELMUM Monologion cap.^o 8^o, tripli-

citer accipitur. Uno modo negative sic esse de nihilo dicitur illud quod omnino non habet esse, secundum quod tacens dicitur loqui de nihilo. Hoc igitur modo nihil existens sive in Deo sive in creaturis potest dici esse de nihilo, neque omnino id quod habet esse aliquid, sive sit productum sive non. Contradictio enim includeretur, scilicet quod haberet esse et non esset; et ideo isto modo neque in divinis neque in creaturis potest aliquid dici esse productum de nihilo.

Secundo modo dicitur aliquid de nihilo, quia non est aliquid de quo potest dici esse, secundum quod id dicitur de nihilo quod non habet causam sui esse. Sic Pater in divinis potest dici esse de nihilo vel ipsa essentia divina, quia non habet principium aut causam sui esse; sed tunc illa praepositio 'de' includitur sub negatione, ut idem sit dictu esse de nihilo quod non esse de aliquo. Et ideo isto modo nihil productum potest dici productum de nihilo in divinis, quia omne productum in divinis habet aliquid de quo est principiative et quasi materialiter, ut iam videbitur. Sed ille modus dicendi aliquid esse de nihilo non debet usitari in divinis, quia secundum usum communem non solum praetendit negationem essendi quod non ab alio, sed negationem essendi simpliciter. Unde dicit ANSELMUS, *Monologion* cap.^o 6^o: «*Licet summa essentia non sit per aliquid efficiens aut ex aliqua materia, non tamen per nihil aut ex nihilo, quia per se ipsam et ex se ipsa est quidquid est*». Sic et Pater ex se ipso et per se ipsum est quidquid est, non ex nihilo. Et ita istis duobus modis dicitur li 'de nihilo' negative.

Tertio modo dicitur 'de nihilo' positive, et hoc dupliciter. Uno modo quasi materialiter ut nihil ingrediatur substantiam rei, sicut ferrum ingreditur substantiam cultelli qui est de ferro. Sic iterum nihil fit de nihilo, quia nihil nullius habet esse aliquid. Alio modo originaliter, quia eius substantia habet esse post non esse, et sic sola creatura habet esse ex nihilo; non autem aliquid productum in divinis quia nihil est ibi nisi perpetuum, ut infra dicitur. De aliena autem substantia ex nihilo tamen concreata, dicebant haeretici esse productum quidquid in divinis producitur. Unde et dicebant nihil produci a Deo nisi quod esset creatura et alterius substantiae quam divinae et esse productum post productionem, et dicebant Filium creaturam nobilissimam a Deo creatam, dicente HILARIO in principio IVⁱ De Trinitate: «*Aiunt haeretici Filium non ex Patre natum neque Deum ex natura sed ex constitutione esse, quia sicut plures Dei filii, ita et hic Filius, sicut plures dii sunt, ita et hic Deus sit; indulgentiore tamen in eo et adoptionis et nuncupationis affectu, ut et prae ceteris sit adoptivus et adoptivus sit maior et excellentius cunctis naturis creatus creaturis ipse ceteris praestet, et ex nihilo ut cetera in aeterni illius Creatoris sui imagine constituisse, verbo videlicet de non-existentibus insum esse subsistere, Deo potente similitudinem*

sui ex nihilo coaptare». Et dicit hoc contra Arrianos qui Filium dicebant creaturam spirituales nobilissimam ante alias creaturas et in Virgine naturam humanam accepisse. PHOTINUS vero dixit quod initium accepit in Virgine cum carnem assumpsit. Et ambo dicebant Spiritum Sanctum creaturam nobilissimam post Filium, et ambos dicebant a Deo dignitate gratiae deificatos, et ideo utrumque dici Deum in Sacra Scriptura. Sed qui sic dicunt, ut dicit AMBROSIIUS, I^o De Trinitate, «*negant Filium divinitate unum cum Patre esse. Deleant ergo Evangelium, deleant vocem Christi. Ipse enim dicit: Ego et Pater unum sumus*». «*Eos qui dicunt “erat quando non erat” et “antequam nasceretur non erat” et qui ex nihilo factum aut ex alia substantia, anathematizat catholica et apostolica Ecclesia*».

Unde ad huiusmodi errorem improbandum ex textu Scripturae potius quam ex vi rationis naturalis, invigilat ut plurimum disputatio de Trinitate AMBROSII et HILARII et aliorum catholicorum, ut patet inspicienti libros ipsorum. Unde quia ita sit ex dictis Sacrae Scripturae quae eorum disputationibus sunt declarata tenere debemus et quomodo intelligere possumus quod «*Deus Deum de sua substantia producat*» investigare debemus. Sed, ut dicit HILARIUS I^o De Trinitate: «*de natura Dei et nativitate sive – ut largius loquor – de processione tractantes exempla offeremus quia intelligentiae nostrae infirmitas cogit species quasdam ex inferioribus tamquam de superioribus indices quaerere, ut rerum familiarium consuetudine admonente ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur*».

Est ergo sciendum quod in exemplo productionis naturalis est invenire ea quibus uti possumus ad intentum nostrum circa productionem divinam. Est enim in producto considerare tria quodam modo re differentia, scilicet subiectam materiam quae est in potentia ad formam, et ipsam formam quam agens deducit in actum de potentia materiae, et compositum constitutum in esse ex utroque quod est per se terminus productionis naturalis. His tribus differentibus in productione creaturae secundum rem est invenire tria correspondentia differentia secundum rationem tantum in productione divina, videlicet ipsam divinam essentiam, et proprietatem personalem, et ipsum suppositum sive personam ambo illorum in se continentem, iuxta illud quod dicit AUGUSTINUS, VII^o De Trinitate cap.^o 2^o de persona Filii, «*quae est nata sapientia*; ut per hoc quod dicitur ‘*nata*’ intelligamus proprietatem, per hoc vero quod dicit ‘*sapientia*’ intelligamus essentiam». Unde et sicut in productione creaturarum ipsum productum habet esse per actum productionis, et quicquid est in ipso etiam habet esse in ipso per actum productionis, ita quod secundum determinationem PHILOSOPHI, VII^o Metaphysicae, compositum generatur per se et primo, secundo vero forma in composito, materia vero tamquam ingenua et incorrupti-

bilis, in composito solum habet esse per generationem, nullo tamen modo generatur in ipso nisi largissime loquendo de generatione.

Consimiliter in productione divina quisquis est productus in Deo habet esse suum per actum productionis et etiam quidquid est in ipso. Propter quod dicit AUGUSTINUS quod «*essentiam Filio praestat de Patre generationem*», quemadmodum compositum in creaturis habet esse suum et quidquid est in ipso per actum generationis naturalis. Est enim persona quid constitutum in divinis ex essentia cum proprietate, licet absque compositione, ut infra patebit. «Et HILARIUS dicit quod «*Filius nihil habet nisi natum*», id est quod nascendo accepit», ut exponit PRAEPOSITINUS. Licet tamen proprie dicimus quod persona producit per se et primo, tamen non est consuetum dici a theologis quod proprietas et essentia ullo modo producantur per accidens, sed solummodo quod habentur per productionem in persona producta, licet aliter et aliter, quoniam proprietas non solum habet esse in persona producta per ipsam productionem, sed etiam simpliciter habet esse per illam, quia in illa habet esse absque productione. Essentia vero per productionem habet esse in producto, sed non habet esse simpliciter per productionem, quia absque productione passiva habet esse in producente.

Propter quod forte aliquo modo posset proprie vel saltem magis proprie quam de essentia, aut minus improprie dici quod proprietas producat in persona producta, ut quod filiatio generetur non simpliciter secundum se sed tantum in Filio. Nullo autem modo proprie dici posset quod essentia produceretur etiam in producto, ut quod deitas generetur in Filio, sed solummodo quod habetur in ipso per generationem, et ita quod proprie dicitur essentia communicari Filio per generationem. HILARIUS tamen concedit substantiam generari in Filio cum dicit, II^o De Trinitate in principio: «*Pater quomodo erit si non quod in se substantiae atque naturae est genuerat in Filio?*» Sed hoc minus proprie et vere dicimus, quemadmodum in creaturis minus vere et proprie materia generari dicitur quam forma.

Dicimus ergo quod quemadmodum in productione naturali materia est subiectum generationis in quantum est in potentia ad formam, et per hoc ad compositum generandum de ea, sic in productione divina, puta in generatione Filii et consimiliter in spiratione Spiritus Sancti, ipsa divina essentia est quasi subiectum generationis et ut aliquid in potentia, licet necessario semper coniuncta actui ad generandum de ea personam constitutam ex essentia et proprietate quae est sapientia genita, secundum quod dictum est, ut sapientia nominet subiectum quod in creaturis est materia; nata vero nominet proprietatem per generationem habitam qua Filius in esse generati constituitur et a Patre distinguitur,

qui est innata sapientia, cum quo convenit in quantum est sapientia simpliciter et sic absolute.

Sic absolute dicendum est quod «*Deus generat Deum de sua substantia*», scilicet generantis, dicente AUGUSTINO in sermone De symbolo: «*Deus cum Verbum genuit, id quod ipse est genuit, nec de nihilo nec de aliqua iam facta conditaque materia, sed de se ipso*», hoc est de substantia sua. Et De fide ad Petrum: «*Pater de nullo genitus Deus semel de sua natura sine initio genuit Filium*». Ad idem inducit MAGISTER Sententiarum, distinctione 5^a cap.^o 'Dicitur quoque' plurimas auctoritates. Dico autem de substantia generantis cum reduplicatione 'in quantum' scilicet generans est. Licet enim eadem sit in tribus, non tamen habet rationem potentiae ut de ea generetur aliquis nisi secundum quod habet esse in Patre, ut per hoc excludatur inconueniens quod MAGISTER Sententiarum inducit ex dicta auctoritate AUGUSTINI De fide ad Petrum, distinctione 5^a cap.^o 'Dicitur quoque' ubi dicit sic: «*Ecce hic dicit Augustinus Filium genitum de natura Patris. Est autem una natura Patris et Filii et Spiritus Sancti. Si ergo de natura Patris est genitus Filius, genitus est de natura Filii et Spiritus Sancti, immo de natura trium personarum*». Propter quod MAGISTER in cap.^o 'Ostenditur quoque' respondendo huic inconuenienti exponit eam dicens: «*Filius natus est de substantia Patris, vel Pater genuit Filium de sua natura sive essentia, id est de se natura sive essentia genuit Filium eiusdem naturae sive essentiae*»; et hoc quasi li 'de' solum posset dicere circumstantiam quasi causae efficientis non materialis, quod non oportet dicere.

Et quod arguitur in contrarium quod «*divina essentia purus actus est et forma quare ad nihil est in potentia*» etc., dicendum quod aliquid est in potentia ad aliquid quod est absolutum, et differt ab ipso re vel intentione, et vadit de potentia in actum per motum et transmutationem rei vel rationis; vel ad aliquid quod est respectus tantum, et differt ab illo sola ratione, numquam vadens per transmutationem quamcumque de potentia in actum, sed semper naturaliter coniunctum est actui. Primo modo in creaturis materia est in potentia ad formam tamquam ad differens re ab ipsa et transiens de potentia ad actum per realem transmutationem in materia. Et similiter forma generis est in potentia ad formam differentiae tamquam aliquid differens intentione ab ipsa et transiens de potentia ad actum per transmutationem rationis. Nec est tali modo divina essentia in potentia ad aliquid, de qua veritatem habet medium in argumento. Non autem de potentia secundo modo, immo de natura formae divinae, in quantum est actus purus, est quod sit in potentia ad plures respectus. Unde productio divina ex parte eius de quo producitur, non solum ex parte modi producendi, differt ab omni modo productio-

nis qui possibilis est fieri in creaturis. Ut enim dicit VICTORINUS in disputatione sua contra Arrium, «*aeterna generatio improporcionabilis est omni generationi*».

Unde qui perfecte vult videre modum productionis divinae, et hoc quantum pertinet ad propositum, debet aspicere ad modos generationum aliarum et quod nobilitatis est isti productioni ascribere et quod ignobilitatis est abnegare, et tandem ostendere quomodo in eadem est aliquid nobilitatis quod in nulla aliarum possit inveniri, ut declaratur in *Glossa* <ad> Hebraeos 1^o super illud «*Cum sit splendor gloriae*». Differt igitur productio divina summe a productione qualibet alia, quia illa vadit per transmutationem ad perfectionem et in ipsa distat potentia ab actu; in ista vero nequaquam. Differt specialiter a productione naturali quae est generatio, quia illa est de imperfecto substantialiter, ista vero est de perfecta substantia. In quo plus convenit cum productione quae est alteratio, quia in illa subiectum, quod est in potentia, est aliquid existens in actu, sed differt in hoc quod subiectum in alteratione est in potentia ad aliquid re absolutum differens ab ipso; in productione autem divina nequaquam; in quo divina productio convenit plus cum productione speciei ex genere, quia in hac productione genus, quod est sicut subiectum et materia, est in potentia ad aliquid absolutum ut ad differentiam quae sola intentione differt ab ipso. Hic autem subiectum est in potentia ad aliquid respectivum quod differt ab ipso sola ratione. Et licet ista productio sit magis similis divinae quam alia, in multis tamen aliis differt, quia productio speciei ex genere per differentiam procedit de incompleto ad completum assumendo complementi determinationem, ut secundum aliud et aliud re descendat in aliam et aliam speciem, et sit tantum unum commune secundum rationem. In productione autem divina subiectum non est aliquid incompletum determinatum per assumptam proprietatem, sed unum et idem re singulare totaliter habet esse per productionem in diversis sub diversis proprietatibus relativis, quod est commune non secundum rationem, sed secundum communicationem.

Unde quia illud commune est unum et idem singulare, et ideo ista est vera “tres personae sunt unus Deus et una substantia”, et quia in constitutione personae secum habet rationes proprietatum quae non differunt ab ipsa nisi ratione, ideo et conversa est vera “unus Deus est tres personae sive Trinitas”, secundum quod MAGISTER probat hoc auctoritatibus, I^o *Sententiarum* distinctione 4^a cap.^o ‘Quidam tamen’. Propter utrumque vero eorum simul omnes propositiones conceduntur in quibus praedicantur concreta de concretis ut “Pater est Deus”, vel abstracta de abstractis ut “paternitas est deitas” vel econ-

verso; vel abstracta de concretis ut “paternitas est Deus” vel “Pater est deitas”, ut dictum est, licet non sunt semper aeque propriae, et hoc ubique ubi non repugnat *relationis oppositio* seu disparatio. Illa enim impedit praedicationem, et hoc vel principaliter vel ex adiuncto. Principaliter: aut ratione significationis terminorum propter quod non dicitur “paternitas aut Pater est filiatio aut Filius”; aut ratione modi significandi propter quod non dicitur “essentia generat aut generatur”. Ex adiuncto autem, ut licet dicatur absolute “essentia est Pater”, non tamen dicitur “essentia est Pater Filii”. Licet enim magister ALEXANDER in *Summa* a distinguat dicendo quod li ‘Pater’ potest sumi adiective vel substantive, et si substantive sic est vera, quia tunc supponit pro tota persona habente Filium, sub hoc sensu: essentia est persona quae est genitor Filii, sicut e converso ista ‘Pater Filii est essentia’, id est persona generans Filium est essentia. Si vero sumatur adiective, sic est falsa, quia dicit quod essentiae convenit proprietas qua refertur ad Filium ut generans ipsum. Magister tamen PRAEPOSITINUS in *Summa* sua dicit «eam veram esse simpliciter et li ‘Pater’ tantum teneri *substantive sicut* hic “*essentia est Pater*”. Quod probat, quia sequitur “*Pater Filii est essentia*, ergo *essentia est Pater Filii*”. Prima est vera, quia ‘Pater’ tenetur *substantive*, quare similiter et secunda. Item, “*essentia est Pater*”; haec est vera quia li ‘Pater’ tenetur *substantive*. Aut ergo est *Pater alicuius*, aut *nullius*. Si *nullius*, ergo omnino non est *Pater*. Si *alicuius*, hoc non est nisi *Filii*».

Sed in rei veritate illa est falsa «*essentia est Pater Filii*, et tenetur *Pater tantum adiective*» quoniam nomina quae imponuntur a potentia activa vel passiva, ut sunt ‘magister discipulus’, ‘pater filius’, ‘aedificator <aedificium>’ adiectiva sunt significatione tantum, et hoc ex respectu quem habent ad aliud, quod respicit potentia a qua imponuntur. Sed ita est quod cum aliquid habet rationem adiacentis vel adiectivi ex respectu ad aliud, quanto magis est determinatus respectus tanto magis habet rationem adiacentis, et tanto minus quanto magis indeterminatus est respectus, sicut patet de modo infinitivo quod grammatici dicunt quod potius potest supponere quam alius modus, quia alii dicunt finitam inclinationem ad suppositum, iste vero infinitam. Et similiter adiectivum in neutro genere potius substantivatur quam in masculino aut feminino. Quare cum, li ‘pater’ dicendo ‘pater filii’, habet finitam et expressam habitudinem, non sic cum per se ponitur. Ideo licet posset teneri substantive dicendo “essentia est Pater”, non tamen nisi adiective dicendo “essentia est Pater Filii”. Et sic simpliciter est falsa, ut dictum est, illa “essentia est Pater Filii”; haec tamen est vera “essentia est Pater”.

Si ergo obiciatur «essentia est Pater et non est Pater nisi Filii, ergo essentia est Pater Filii aut non est Pater», patet quod est figura dictionis,

quia in prima li ‘Pater’ per se supponit pro tota persona, in secunda cum dicitur ‘Pater Filii’, copulat proprietatem tantum circa subiectum ‘Pater’. Ergo quod non valet primum argumentum PRAEPOSITINI «*Pater Filii est essentia*, ergo *essentia est Pater Filii*», quia deberet sic convertere “ergo aliquid quod est essentia est Pater Filii”, sicut illa “individuum est homo” non convertitur sic “ergo homo est individuum”, sed sic “ergo aliquid quod est homo est individuum”.

Similiter cum arguitur «*essentia est Pater, ergo aut alicuius aut nullius*», dicendum quod non sequitur propter figuram dictionis, quia statim cum additur «*alicuius aut nullius*», aliter copulat quam prius supposebat, et est dicendum ‘nullius’, id est “non alicuius est Pater”. Et non sequitur ex hoc quod non sit Pater propter figuram dictionis, sed sequitur tantum “ergo non convenit ei proprietas paternitatis”. Quia etiam deitas, ut dictum est, sive essentia divina habet rationem communis, licet per solam communicationem, et persona rationem proprii et sic quandam rationem totius tenet essentia et persona quasi rationem partis – licet nec pars nec totum sunt vere in divinis ut habitum est supra – propter quod talis propositio tamquam propria et vera concedenda est “Filius est substantiae divinae aut substantiae Patris”, quasi participativa conclusione sub hoc sensu: Filius est aliquis substantiae Patris, id est aliquis in substantia Patris subsistens. Non autem aliquid, sicut dicimus quod Sortes est aliquid substantiae hominis, quia in diversis hominibus est vera partitio humanitatis. Per hunc etiam modum conceditur quod Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unius substantiae, id est aliqui quorum est una substantia. Sed si ille genitivus ‘substantiae’ intelligatur construi secundum habitudinem quasi causae materialis, ut de qua aliquid vel aliquis producit, sic ista conceditur “Christus est Filius substantiae Patris vel deitatis”, dicente AUGUSTINO, XV^o De Trinitate: «*quod dictum est Filii caritatis suae nihil aliud intelligatur quam Filii substantiae suae. Et hoc ideo quia genitus est de sua substantia*», quemadmodum dicimus quod imago est statua aeris quia de aere formata. Non sic autem possumus dicere ingenitum esse Patrem substantiae divinae, quia non est de ipsa quasi materialiter productus. Propter quod dicit AUGUSTINUS, VII^o De Trinitate: «*Tres personas eiusdem substantiae vel unam essentiam dicimus, tres autem personas ex eadem essentia non dicimus*».

Illa tamen «*Christus est Filius substantiae divinae*» non debet passim concedi nisi exprimatur circumstantia quasi principii materialis, quia secundum communem usum talis constructio solet intelligi penes circumstantiam causae agentis, ut ipsa substantia divina intelligatur Filium produxisse. Propter quod MAGISTER talem propositionem exponit quasi impropiam in praedicto cap.^o ‘Ostenditur quoque’ dicens:

«*Expone illud: Filius substantiae Patris, id est <Filius> Patris qui est substantia et cum quo Filius est eadem substantia*». Sed non oportet sic exponere, immo sensum habet verum et proprium. Aliter enim ista “ingenitus est Pater substantiae Filii” aeque vera esset et propria sicut illa “Christus est Filius substantiae Patris”, sic exponendo: id est Filius qui est substantia et cum quo Pater est eadem substantia. Quod non est verum, quia construendo illum genitivum ‘substantiae’ in habitudine quasi principii materialis, illa est vera et propria “Christus est Filius substantiae Patris”; nullo autem modo illa “ingenitus est Pater substantiae Filii”, ut dictum est.

ALIIQUI autem dicunt quod in talibus propositionibus “Pater genuit Filium essentiae suae”, “tres personae sunt unius essentiae”, ille genitivus in omnibus talibus propositionibus construitur ex vi designationis essentiae, quemadmodum si dicatur ‘mulier egregiae formae’, hoc est ‘mulier habens egregiam formam’. Quod non necesse est hic dicere, ut visum est, nec debet, quia talis constructio solummodo usitatur apud grammaticos in formis accidentalibus, non autem substantialibus. Sed secundum illum modum debent exponi omnes illae propositiones in quibus substantia vel essentia ponitur ut terminus a quo, vel terminus ad quem actus personalis, ut illa HILARIUS, IX^o De Trinitate: «*Nec corporali insinuatione Patrem in Filio praedicamus; sed ex eo eiusdem generis genitam naturam naturaliter in se gignentem habuisse naturam*», hoc est: «non praedicamus corporali insinuatione», id est quemadmodum locatum est in loco «*Patrem esse in Filio*», sed supple «*praedicamus genitam naturam*», id est Filium qui est natura genita habuisse in se ex eo, id est ex Patre, «*naturam eiusdem generis naturaliter gignentem*», id est quae est Pater qui naturaliter gignit.

Et est hic advertendum ad pleniorum intellectum praedictorum quod hae tres praepositiones ‘a’, ‘ab’, ‘de’ et ‘ex’, si proprie usitentur, diversas circumstantias et habitudines nominant, licet pro invicem saepius assumuntur, quoniam ‘a’ praepositio notat circumstantiam et habitudinem causae efficientis sive principii originantis unde illa recipitur “Filius est a Patre”, non autem illa “Filius est a substantia Patris”. ‘Ab’ vero notat circumstantiam effectus sive principii, propter quod esse ab alio in divinis solum convenit personae procedenti. ‘De’ vero et ‘ex’ communiter notat circumstantiam causae materialis et efficientis vel quasi. Unde istae recipiuntur indifferenter: “Filius est de Patre” vel “ex Patre”, vel “de substantia Patris” vel “ex substantia Patris”. Sed differunt aliquantulum tam in circumstantia materiali quam in circumstantia causae efficientis vel quasi. In circumstantia enim materiali differunt, quia ‘de’ indifferenter et aeque proprie notat circumstantiam materiae quae est aliud re a forma eius quod ex ipsa producitur, et illius

quae non est aliud re ab illa. Unde dicitur proprie aequè quod cultellus est de ferro et quod species est de genere. ‘Ex’ vero proprie notat circumstantiam materiae primo modo, non secundo. Unde magis proprie dicitur “cultellus est ex ferro” quam “species est ex genere”. Et secundum hoc in divinis magis proprie dicimus quod Filius est de essentia Patris quam quod sit ex essentia Patris, dicente AUGUSTINO, VII^o De Trinitate: *«Tres personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia sit, aliud quod persona est»*; cuius tamen iam aliam rationem assignamus. Differunt etiam in circumstantia causae efficientis sive originantis, quia ex aliquo dicitur sive res sit de illius substantia sive non. Bene enim dicitur, quia filius est ex patre et domus ex artifice. ‘De’ vero solum dicitur quando alterum de substantia alterius; unde proprie dicitur quod filius est de patre, non autem quod domus est de artifice. Hanc distinctionem ponit AUGUSTINUS, libro De natura boni, et habetur distinctione 36^a libri Iⁱ cap.^o ‘Illud etiam’. Praeter illos autem modos ‘de’ et ‘ex’ sumuntur ordinaliter solum, ut ex mane vel de mane fit meridies. Sed de hoc nihil ad propositum in divinis.

Ad illud quod arguitur ulterius *«si Deus producit Deum, aut ergo semper producit eum, aut non semper»* etc., hic oportet primo declarare quod divina productio terminata ad intra aeterna est, semper persistens sine principio et sine fine, et deinde concedere unum membrum divisionis in argumento et alterum negare. Primum quidem duplici via declaratur: una scilicet deductione ad impossibile, alia scilicet ostensive. Prima quidem quia si principium haberet durationis aut finem, tunc aut non esset antequam esset, aut postquam esset, quod non potest fore sine aliqua mutatione in deitate et ex parte producti et producentis et eius de quo producit simul, si non esset antequam esset, quia agens actionem quae non respicit aliquid extra non agit de novo nisi aliter se habendo ad actionem quam prius; nec productio potest de novo esse post non esse nisi productum haberet esse post non esse, et esset nova dispositio in eo de quo producit quae prius non erat. Mutatio autem in divinis omnino cadere non potest, ut ostensum est supra.

Via ostensiva idem patet, quoniam productio non incipit aut desinit nisi quia agens secundum alium et alium modum se habet ad subiectum de quo producit, aut ipsum subiectum ad ipsum producentem. Agente enim existente in dispositione illa qua natum est agere, et subiecto in illa dispositione qua natum est recipere in se illius actionem et sint approximata, impossibile est actionem non esse. In divinis autem persona, quae non est omnino ab alia quia est purus actus et semper perfecte fecundus ad producendum, et divina essentia in ipso est ab aeterno, et ita non solum quasi approximata sed summe unita, est

semper perfecte fecunda ut de ipsa producatur Filius. Deum ergo necesse est aeternaliter Deum producere ut productus sit coaeternus producenti, secundum quod declarat MAGISTER *Sententiarum*, distinctione 9^a Iⁱ libri in principio, pluribus auctoritatibus. Et sic concedendum est quod Deus Deum producit semper.

Et quod assumitur in argumento quod «*actio producendi non cessat, hoc non est nisi quia non est aliquid perfecte productum*», dicendum quod est quaedam productio in qua productum per productionem accipit esse post non esse, natura aut duratione, non esse praecedente esse. Est productio in qua productum per productionem accipit esse, sed non post non esse praecedens natura aut duratione. In prima productione res non habet esse nisi per aliquod fieri quo ei acquiritur esse. Cui enim acquiritur esse per fieri, nullo modo ex se naturaliter habet esse, ut iam dicitur. Et de tali productione verum est quod non cessat, quia non est aliquid perfecte productum in ea, ut patet in productione per motum naturalem. Secundum enim EXPOSITORES PHILOSOPHI, AVERROEM et ALIOS, omnis forma naturalis quae per agens naturale de potentia ad actum deducitur, in eo quod de potentia vadit ad actum per naturalem transmutationem quae motus est, secundum esse et esse dividitur, ut motus ad formam non sit nisi acquisitio partis formae post partem, ut quamvis idem sit secundum rem et substantiam in animali bruto vivens spirans sensibile, si tamen per motum in esse producat, primo secundum esse distenditur in vivum, deinde ex vivo in spirans, deinde ex spirante in sensibile, et non est medium transmutationis simul cum principio et fine. Quamvis enim simul habent esse constitutum in substantia, non simul tamen habent diversa esse substantiae recepta per motum quae complete non habentur nisi in ultimo. Unum enim istorum de altero procedit secundum viam generationis continuae, ut sit illud quod est ante, semper in potentia ad id quod est post, secundum AVERROEM. Si vero sit productio subita, ut est vera generatio substantiarum omnino indivisibilium, et illorum quorum productio est in fine motuum, ut medii illuminatio, secundum PHILOSOPHUM VII^o *Physicorum*, ibi statim cessat productio, quia aliquid statim est perfecte productum, et tunc agens non operatur nisi ad producti conservationem, ut sit alia actio qua res producitur et conservatur, licet agens esset idem. Propter quod AVERROES, super II^{um} *Physicorum*, distinguit duplex agens: quoddam est quod est causa fieri rei tantum quod semel influit et statim cessat, ut homo in generando filium; quoddam vero quod non solum est causa fieri rei et esse eius, sed etiam conservationis utriusque et hoc numquam cessat, ut sol generans hominem, etenim si cessat ab actu generationis, non tamen ab actu conservationis.

Unde quia talis est productio in omnibus quae habent esse post non esse vel natura vel duratione, idcirco omnis talis natura habet initium sui esse, quia illa productio, cum simplex est et indivisibilis, in indivisibili aliquo necessario habet primo esse, et de cetero non esse manente producto per actum conservationis in se. Ut secundum hoc, positio AVICENNAE qua dicit mundum ab aeterno habere esse ab alio et non esse ex se natura praecedens, implicat impossibilia. Si vero illa productio esset composita, necesse esset similiter eam finitam esse et incepisse, quia aliter infinitae essent partes in re producta per illam productionem. Si autem sit productio in qua productum per productionem accipit esse ab alio, sed non post non esse praecedens natura aut duratione, in tali productione res non habet esse per aliquod fieri, quoniam fieri quod ordinatur ad esse respicit subiectum et materiam quae ex se non habet esse, sed solum potentiam ad esse quod acquiritur ei in producto per fieri. Unde quia in divina productione, id quod est quasi subiectum et materia de qua fit productio, ut iam supra dictum est, est divina essentia quae ex se habet esse in actu non existens omnino in potentia ad esse, ut habitum est supra, licet sit, ut iam supra dictum est, in potentia quodam modo ad personam de ea producendam, idcirco talis productio non est aliquod fieri rei et esse eius, sed solummodo est ipsius esse et essentiae communicatio, et ipsius rei cui communicatur ab alio habere esse relativum. Productum enim in esse personali relativo habet esse ab alio, et esse essentiale per productionem sibi habet communicatum ab eodem. Et de tali productione non est verum quod cessat, licet quis perfecte et perfectus sit productus in ea, sicut non cessat quod esse suum habet ab alio, sicut in praedicta productione cessat fieri quo habet suum esse. Et sicut non oportet quod cesset habere esse suum ab alio, sic non oportet quod incipiat habere esse suum ab alio.

Habere enim esse suum ab alio non repugnat nec ponit principium essendi in duratione nec praecedere alium a quo habet suum esse, secundum quod dixerunt haeretici. Quod bene declarat MAGISTER auctoritatibus sanctorum, distinctione 9^a praedicta, de productione quae est generatio et nativitas. Quod etiam bene confitentur PHILOSOPHI in creaturis. Ponunt enim mundum habere esse ab alio, sed ab aeterno sine initio et sine fine, non ponendo quod mundus ex se habet non esse praecedens suum esse vel natura vel duratione, ut secundum praedictum modum posuit AVICENNA, sed quod mundus ex se non habuit ab aeterno potentiam nisi ad esse, et quod cum hoc bene staret quod ab alio ab aeterno haberet esse. Sed hoc non potest poni. Quod enim ex se habet solam potentiam ad esse ex se et sua essentia, nullum esse ponit,

quia tunc esset necessarium accipere illud esse ab alio. Quamquam ergo ponatur habere esse ab alio ab aeterno, tamen ponendum est secundum positionem AVICENNAE quod habet ex se non esse praecedens natura vel duratione et ita per fieri acquisitum et habet initium et finem, ut dictum est.

Unde in divinis solummodo potest aliquis habere esse ab aeterno et ab alio, et hoc absque omni fieri. Cuius propria ratio est quod subiectum quasi materia existens in divina productione ex se habet esse absolutum communicabile alteri cui per productionem convenit ab aeterno suum esse respectivum, sicut ab aeterno habet oppositum esse respectivum ille a quo producitur ne ponatur esse mutabilis, dicente AMBROSIO: «*Dic mihi haeretice, fuitne omnipotens Deus quando Pater non erat et Deus erat? Nam si Pater coepit esse Deus, ergo prius erat, et postea coepit esse Pater, quomodo ergo immutabilis est Deus?*» quasi dicat: nullo modo. Si autem semper est Pater, et non est Pater nisi generando Filium, generatio autem Patris et Filii nativitas simul sunt sine medio; Filii autem nativitas et eius esse similiter simul sunt, quia est perfectissima nativitas; simul ergo ab aeterno habent esse Pater quod Pater est et Filius quod Filius est; quod impossibile est ponere circa ullam creaturam a quocumque ponatur produci. Quod bene declarat MAGISTER, distinctione 9^a praedicta in fine, auctoritate HILARII. Et sic in divinis non cessat nec incipit productio, sed semper instat, institit et instabit, et productum nec incepit esse, nec desinet esse, sed semper est, fuit et erit. Sed quemadmodum dictum est supra quod aeternitati maxime convenit praesens tempus, licet per nullum possit perfecte explicari, sic et productio et productum, si secundum se explicentur in sua duratione, magis proprie explicantur dicendo quod productio semper est et similiter ipsum productum. Similiter si coniunctim explicetur eorum duratio, adhuc certum est quod minus proprie explicando per purum praeteritum dicendo quod productus semper producebatur sive semper fuit productus, aut quod semper produceretur sive semper erit productus, ne per praeteritum intelligamus defectionem et per futurum expectationem, dicente AUGUSTINO super illo «*Ego hodie genui te*»: «*In aeternitate non praeteritum est quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit*». Sed nec propriissime explicatur per «*praesens tantum*» dicendo «*semper producitur*», ne intelligatur productio fore in fieri; sicut enim aeternae productioni repugnat desitio praeteriti et expectatio futuri, sic repugnat ei fieri praesentis.

Unde etsi perfecte explicari non possit, expressior tamen modus est quo perfectio productionis exprimitur sine alicuius expectatione et ipsius producti instantia sine alicuius desitione, et utriusque permanentia

sine fieri et successione. Quod fit hanc activam “Deus producit Deum” convertendo in passivam et dicendo “Deus semper productus est a Deo”, ut li ‘productus’ propter tempus praeteritum quod consignificat, pertineat ad productionis perfectionem per quam perfectus Deus est productus sine alicuius expectatione; li ‘est’, quia est praesens verbi substantivi, pertinet ad ipsius producti instantiam sine lapsu in aliquam defectionem; li ‘semper’, quia omnem differentiam temporis comprae-hendit, pertinet ad aeternitatis utriusque permanentiam sine fieri et successione. GREGORIUS tamen in sua expositione illa duo, ‘productus’ et ‘est’, refert ad personae productae perfectionem, ut patet in eius auctoritate quam ponit super hoc MAGISTER, distinctione 9^a praedicta in cap.^o ‘Hic quaeri potest’, ubi invenies plures auctoritates de hac materia.

Ad ultimum circa medium praedictum «*si Deus producit Deum aut ergo pro essentia aut pro supposito*», dicendum secundum praedeterminata quod pro supposito, immo pro suppositis, quia principium esse et terminum actionis personalis non est nisi suppositorum. Et quod assumitur contra hoc «*quia in Deo non est nisi suppositum relativum*» quod secundum PHILOSOPHUM V^o Physicorum non principium nec terminus potest esse actionis, dicendum est quod verum est per se ratione relationis. Potest tamen ratione eius in quo fundatur, cuiusmodi est ipsa divina essentia, quae sub ratione unius proprietatis relativae est principium ut ‘quo’ quasi formaliter, sub ratione alterius relationis est principium ut ‘de quo’ quasi materialiter, et ipsa proprietas relativa est ipsius suppositi ratio ad modum principii individuationis in creaturis quae est condicio et modus existendi quo suppositum habet rationem singularis.

Ad illud quod tertio adducitur ad principale quod «*actus omnis divinus est nobilissimus* et ita *propter se ipsum, non propter aliquod* productum», dicendum secundum quod superius est expositum loquendo de divina actione in generali, quod differunt actus qui est proprie actio, et qui est proprie operatio. Et sicut differunt, sic habent perfectiones differentes. Sicut enim oper<ation>is perfectio consistit in actione circa obiectum perfectissimum, ut patet in operatione quae est felicitas, sic perfectio actionis proprie dictae est quod habeat aliquid perfectum perfecte productum. Et ideo licet actus divinus qui est proprie operatio, cuiusmodi est intelligere, propter suam perfectionem non est propter aliud proveniens ab ipso, actus tamen qui proprie est actio, cuiusmodi sunt generare et spirare, propter alium modum perfectionis suae bene potest esse propter aliud aut propter alium provenientem ex sua actione.

Ad quartum quod «*emanatio* importat *motum* fieri aut *exitum* ad quendam qualium nihil est in Deo», dicendum quod verum est per

omnimodam proprietatem secundum quam utimur eis in creaturis. Vere tamen dicuntur in ipso per aliquam translationem, dicente HILARIO in principio IVⁱ De Trinitate: «Non ignoramus ad res divinas explicandas neque hominum elocutionem neque naturae humanae comparationem posse sufficere. Quod inenarrabile est, id significantiae alicuius finem et modum non habet, et quod spirituale est, id a specie corporum exemploque diversum est. Tamem», ut dicit, «cum de naturis caelestibus sermo est, ipsa illa quae sensu mentium continentur, usu communi et naturae et sermonis sunt eloquenda, non utique Dei dignitati congrua, sed ingenii nostri imbecillitati necessaria, rebus verbisque nostris ea quae et sentimus et intelligimus locuturi». Et ut ait libro I^o: «Si qua nos de natura Dei et nativitate tractantes comparationum exempla afferemus, nemo ea aestimet absolute in se rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorum ad divina nulla est, sed infirmitas intelligentiae cogit species quasdam ex inferioribus tamquam de superioribus indices quaerere, ut rerum familiarium consuetudine admonente ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur». Et semper, ut dicit in libro II^o, «dicti ratio intelligenda erit ex sensu dicentis». Licet ergo ‘emanatio’, ‘processio’ et huiusmodi nomina accepta a creaturis in illis significant motum, fieri, exitum corporalem et cetera quae indignitatis sunt circa Deum, cum ad divina transferuntur, usitantur solummodo pro eo quod dignitatis aliquid et perfectionis simpliciter est significatum illis nominibus etiam circa creaturas iuxta artem superius expositam. Unde de exitu personae a persona quem praetendit emanatio, dicit AMBROSIIUS, I^o De Trinitate: «Si vero generationis proprietatem requiramus, “ex Deo exiit”; nam cum in usu nostro id sit exire quod iam sit, et ex exterioribus secretis prodire videatur quod exire perhibetur, angustis licet, sermonibus proprietatem divinae generationis advertimus, ut non ex loco aliquo videatur exisse, sed ut Deus ex Deo». Et libro II^o: «Neque cum de Patre exit quasi de loco recedit, aut quasi a corpore separatur» etc. Sed haeretici emanationem, exitum et cetera huiusmodi spirituales intelligentiam non advertentes omnia secundum modum quo utimur eis in rebus corporalibus interpretati sunt, dicente HILARIO in principio IIⁱ De Trinitate: «Extiterunt plures qui caelestium verborum simplicitatem pro voluntatis suae sensu, non veritatis ipsius absolutione susceperent, aliter interpretantes quam dictorum virtus postulare; de intelligentia enim haeresis, non de Scriptura est». Unde super corporalem verborum intelligentiam formabant omnes suas rationes contra sanctorum patrum spirituales intelligentiam, et interpretabantur dicta Sacrae Scripturae corporaliter, quae spiritualiter erant interpretanda, ut quia nativitas in creaturis praestat esse ei qui prius non erat, sic et in Deo et cetera huiusmodi; secundum quod contra ipsos dicit DAMASCENUS, libro I^o cap. 8^o: «Non fuit umquam Pater quando non

fuit Filius, sed simul Pater, simul Filius ex ipso genitus. Et ita impassibiliter et sine tempore et non fluxibiliter generat et sine coitu, neque principium habet.

Ad ultimum quod «*si una persona emanat ab alia in divinis ergo producit in esse ab illa*» etc., dicendum quod personam aliquam esse quae non emanat ab alia, hoc contingit quia ipsa ex se formaliter, hoc est ex forma sua quae est sua essentia habet esse, quia ipsa est esse, immo ipsum necesse esse. Principiative autem nec essentiam suam nec ipsum esse habet ab alio, propter quod non producit in esse. Econtra autem persona quae emanat ab alia principiative suam essentiam et esse totum quod habet, ab alio habet; propter quod verum est dicere quod producit in esse ab illo. Sed hoc intelligi potest dupliciter. Uno modo quod ab illo ei communicetur esse; alio modo quod ab illo ei acquiratur esse. Primo modo in divinis personae emananti ab alia communicatur esse ab illa, quia totum quod habet et essentiam suam et esse principiative habet ab illa, in quantum ipsam producendo communicat ei suam essentiam de qua illam producit et in essentia communicat ei esse suum et omnia quae habet praeter proprietatem suam qua distinguitur a persona ab ipsa producta. Propter quod et ipsa persona producta a se formaliter, hoc est ex forma sua quae est sua essentia habet esse, sicut et ipsa persona producat, quia Iohannis 17^o: «*sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*». Secundo autem modo persona emanans ab alia in divinis nullo modo producit in esse ab alio, quia quod sic in esse producit ab alio, non habet esse ex se formaliter, hoc est ex forma sua quae est sua essentia, sed in essentia sua recipit esse ab alio existente. Propter quod oportet quod sit aliud in essentia ab eo a quo producit. Talis autem est essentia universae creaturae quam etiam PHILOSOPHI, qui ponebant mundum ab aeterno fuisse, ponebant ab alio habere esse per acquisitionem, quia ex sua essentia non habet esse, eo quod ipsa ex se non est esse neque necesse esse, sed possibile esse tantum. Propter quod etsi ab aeterno haberet esse etiam ab alio aeterna, numquam diceretur esse.

Et cum ulterius quaeritur in argumento: «*si persona emanans ab alia producit in esse ab illa, ergo aut de non-esse producit in esse, aut de esse in esse*», dicendum quod li 'de' potest dicere aut circumstantiam principii quasi materialis, aut circumstantiam ordinis circa productum. Primo modo cum persona in divinis producit de ipsa divina essentia quae est ipsum esse quod communicatur producto, verum est dicere quod producat de esse in esse, et nullo modo de non-esse in esse. Et quod quaeritur tunc ulterius in argumento: «*aut ergo de eodem esse in idem esse aut in aliud*», dicendum quod non de alio in aliud, ut probat medium ad hoc, sed de eodem in idem; sed alia et alia ratione ut de ipso et ut in ipsum,

quia de eodem ut est Patris, in idem ut est Filio communicatum a Patre. Et propter hoc non sequitur quod persona illa haberet esse antequam produceretur vel non per productionem, quia esse illud non est eius in quantum de ipso est productus, sed in quantum est in ipso. Sed hoc modo in creaturis nulla est productio possibilis de esse in esse, quia produciens numquam creaturae communicat suum esse.

Si vero li 'de' notet circumstantiam ordinis, sic in divinis nulla persona producitur de non-esse, quia produciens non producit nisi de sua substantia quae est ipsum esse, quae est etiam ipsa substantia producti. Nihil autem produci potest de non-esse in esse, sive non-esse sola natura sive etiam duratione ponatur praecedere ipsum esse, nisi sit tale quod eius substantia est in potentia ad esse et non-esse, ita quod ex se ei solummodo convenit non-esse; esse autem non nisi ab alio, quemadmodum posuit AVICENNA circa essentiam creaturae. Unde et ALIQUI ALII philosophantium qui ponebant quod creatura mundi ex se erat in potentia ad esse, sed nullo modo ad non-esse, et de necessitate naturae a Deo haberet esse ab aeterno sicut et ipse erat aeternus, dicerent creaturam mundi productam fore in esse, sed non de non-esse. Similiter secundum istum modum in quo 'de' notat circumstantiam ordinis, nulla persona divina producitur de esse in esse, nec de eodem esse nec de alio. Non de alio, quia tunc mutatio esset circa ipsam personam productam, sicut quando notat circumstantiam principii quasi materialis circa essentiam de qua producitur. Nec de eodem, quia absque producto numquam habuit hoc esse, et tamen esset absque productione sua in esse si ita esset.

QUAESTIO 4

UTRUM AB ILLA PERSONA QUAE IN DIVINIS NON EST AB ALIA EMANENT
PLURES ALIAE QUAM UNA

Circa quartum arguitur quod ab illa persona quae in divinis non est ab alia non emanant plures aliae quam una. Primo sic. Ubi non est nisi unum simplex principium emanandi personam, neque nisi una simplex emanatio, et ita neque nisi unum emanans, quia ab eodem in quantum idem non procedit nisi idem. In persona illa quae in divinis non est ab alia non est nisi unum simplex principium emanandi, ut ipsa divina essentia, in qua nulla est diversitas nisi secundum rationem tantum, ut habitum est supra. Ergo in Deo non est nisi una simplex emanatio, neque emanans persona. Et si in eis sit aliqua diversitas, illa

erit secundum rationem tantum quae non sufficit ad personarum differentiam sive distinctionem, ut infra dicetur. Ergo etc.

Secundo sic. Quarumlibet duarum emanationum tantum differunt inter se rationes principiorum emanationum quantum rationes terminorum. Sed duarum emanationum per modum scilicet naturae et voluntatis rationes principiorum sunt in eadem persona quae scilicet non est ab alia; ergo et similiter rationes terminorum possunt esse in eadem persona quae est ab alia, quae scilicet sit emanans modo naturae et voluntatis. Et eadem ratione quotquot sint principia et rationes emanandi in persona, quae non est ab alia, ab illa non potest emanare nisi unica persona sive unica emanatione sive pluribus.

Tertio sic. Illa quae sunt differentia sola ratione non possunt esse principia differentium re, quia cum plurima sint in Deo attributa differentia ratione, ut habitum est supra, tunc pari ratione secundum quodlibet divinum attributum esset aliquid emanans differens re ab illo a quo emanat, quod falsum est. Quare cum omnia quae sunt in persona quae non est ab alia, differunt inter se in illa sola ratione, ergo etc.

Quarto sic. Diversus modus emanandi secundum speciem in eadem natura non diversificat emanans secundum speciem, dicente AMBROSIO libro *De incarnatione Verbi*: «*Diversa initia in plerisque et unam esse substantiam de Scripturis exemplum proferam*». Licet ergo sit diversa emanatio modo naturae et voluntatis, non propter hoc erit emanans diversum specie. In divinis autem, ut infra videbitur, non est emanantium diversitas nisi specie vel quasi. Ergo etc.

Quinto sic. Unius naturae non est nisi unus modus communicandi eam. Secundum enim COMMENTATOREM, super VIII^{um} *Physicorum*, mures generati unus ex propagatione, alter ex putrefactione, non sunt eiusdem speciei. Natura divina non est nisi unica. Ergo etc.

Sexto sic. De ratione personae quae non est ab alia, est quod non sit nisi unica; ergo et similiter de ratione personae quae est ab alia.

Quod vero emanent ad minus tres arguitur primo sic. Quia in creaturis videmus tria principia emanationum et actuum elicitiva, quae sunt natura, ars sive intellectus, et voluntas; quare cum ista tria sunt in Deo, et duo illorum, scilicet natura et voluntas, ponantur principia emanationum et per hoc emanare duas personas ab illa quae non est ab alia, eadem ratione ab arte quae est in ipso emanabit tertia.

Secundo sic. Non magis differunt natura et voluntas in Deo quam natura et intellectus. Si ergo voluntas in persona quae non est ab alia est principium productivum alterius personae quam natura. Ergo et similiter intellectus.

<SOLUTIO>

Dicendum quod, secundum RICARDUM V^o De Trinitate cap.^o 5^o: *«personam esse aliunde non est incommunicabilis existentia»*, alioquin cum personam esse non aliunde sed ex semetipsa, ut iam ostensum est, sit existentia omnino incommunicabilis, non essent in divinis nisi duae personae tantum, unica tantum quae habet esse ab alia, sicut est unica tantum illa quae non habet esse ab alia. Et sic illi modo essendi quo persona habet esse ab alia, non repugnat plures esse ab alia in divinis, sicut repugant illi modo essendi quo persona habet non esse ab alia. Et sic non est possibile plures personas in divinis non habere esse ab alia, cuius ratio habita est supra. Possibile est tamen plures personas in divinis esse ab alia, cuius ratio est communis quoad utrumque, quod scilicet de ratione primi et principii est unitas, non sic autem de ratione eius quod habet esse ex principio, dicente DIONYSIO, 4^o cap.^o De divinis nominibus: *«Omnis dyas non est principium, monas autem totius dyadis principium»*. «Etenim», ut dicit in cap.^o 5^o: *«In monade omnis numerus ante subsistit, quantum autem a monade provenit, tantum discernitur et multiplicatur»*. Et haec multiplicantur et discernuntur differentia absoluta rerum qualis est in creaturis, sive relationum realium qualis est in personis divinis, sive rationum tantum qualis est in attributis divinis essentialibus.

Et est triplex plurificatio ordine quodam se habens inter se et ad primam unitatem. Plurificatio enim creaturarum praesupponit ordine durationis plurificationem divinarum personarum, et illa ordine quodam rationis plurificationem attributorum de quorum numero sunt intellectus et voluntas, quae sunt duo principia operationum omnis intellectualis naturae, quae cum ceteris omnibus essentialibus ad divinam essentiam pertinent. Persona illa, quae in divinis non est ab alia, ex se ipsa in se ipsa ambit et continet, et ordine quodam ab ipsa habent inesse aliis. Ex illa enim, ut dicit RICARDUS V^o De Trinitate cap.^o 4^o: *«Est omne quod est, ex illa omne esse, omnis existentia, omnis persona humana, angelica et divina»*. Per hoc enim quod ambo illa principia in se ex se non ab alio continet, habet illa in se in plena fecunditate et non exhausta ad productionem duarum personarum intra semetipsam, ut non solum sit possibile personam in divinis esse ab alia, sed etiam propter duo principia emanationum in divinis quae sunt in illa, necesse est quod ab illa emanent duae aliae, una per principium quod est intellectus, alia vero per principium quod est voluntas.

Ad cuius intellectum sciendum est, secundum quod determinatum est in prima quaestione VIⁱ Quolibet, quod in intellectuali natura

intellectus et voluntas perfectionem suam non habent nisi in duplici modo actionis, quarum una est essentialis actio intellectus et voluntatis, alia vero personalis sive notionalis. Non enim habet divinus intellectus suam perfectionem quantumcumque perficiatur per actum intelligendi essentialem quousque in ipso concipiat Verbum procedens per eius actum dicendi notionalem. Similiter neque voluntas per actum volendi essentialem quousque producat in ipso amor procedens per eius actum spirandi notionalem, secundum quod expressius in illa quaestione declaravimus et diffusius ab illa parte «Est igitur sciendum tamquam a principio» etc., usque ad illam partem «Ulterius autem est advertendum».

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «in persona quae non est ab alia *non est nisi unum simplex principium emanandi*, ut divina essentia, quare *neque nisi una simplex emanatio*» etc., dicendum quod licet divina essentia, quae est forma unica simplex, sit in essentia, est tamen multiplex in virtute. Et ideo ab ipsa in quantum est penitus idem et secundum eandem rationem, non procedunt diversae emanationes, sed solummodo sub rationibus diversis diversarum proprietatum sine quibus non est proxima ratio eliciendi aliquam emanationem productivam personae, licet ex se sit prima ratio omnium divinarum emanationum, ut dictum est supra et amplius declarabitur infra.

Ad secundum quod «*duarum emanationum* quarum principia sunt intellectus sive natura et voluntas, termini a quo *sunt in una et eadem persona quae non est ab alia*, ergo et *similiter termini* ad quem sive rationes terminorum ad quos, cum non magis differant termini a quibus quam termini ad quos sive rationes eorundem», dicendum quod aliqua differre plus vel minus potest intelligi dupliciter: vel secundum formam vel secundum subiectum. Possunt enim quae magis differunt forma convenire in subiecto plus quam illa quae conveniunt forma. Plus enim differunt albedo et dulcedo quam duae albedines; illae autem simul sunt in eodem subiecto, nequaquam istae. Licet ergo non plus differant rationes terminorum emanationum quam principiorum, bene tamen possibile est rationes principiorum compati se in eodem, non autem rationes terminorum. Cuius ratio est, quia ratio principii semper vergit in unitatem, ratio autem principii in pluralitatem, ut propterea cum omnium necesse sit esse unum primum principium, et primum principium debet habere in se rationes principiativas omnium aliorum quae recipiunt esse ab eo, necesse est quod in primo principio quod non est

ab alio, prima principia primarum emanationum sint simul, licet rationes terminorum nequaquam. Et hoc ideo quia emanatio quae est ad terminum secundum unam rationem ut ad productum sub ratione filiationis, principaliter procedit a principio quod est intellectus sive natura, ex adiuncto autem a principio quod est voluntas et non econverso. Et econverso emanatio quae est ad terminum secundum rationem spirationis principaliter procedit a principio quod est voluntas, ex adiuncto solum a principio quod est natura et non econverso. Et sic impossibile est quod una persona habens in se duas rationes terminorum, procedat seu emanet secundum illas duas emanationes, sicut impossibile est quod principaliter emanet secundum utramque emanationem et secundum neutram, sed secundum ambas ex adiuncto.

Ad tertium quod «natura et voluntas *in persona quae non est ab alia differunt sola ratione*, ergo *non possunt esse principia plurium emanationum differentium re*» etc., dicendum quod natura quae est intellectus et voluntas dupliciter possunt considerari in persona illa quae non est ab alia. Uno modo simpliciter et absolute; et sic sunt principia praecisa actionum essentialium quae sunt intelligere et velle. Alio modo ut cum proprietatibus relativis; sic sunt principia proxima actionum notionalium quae sunt dicere et spirare. Primo modo verum est quod sola ratione differunt inter se, nec sic possunt esse principia proxima diversarum emanationum personalium re relationis differentium, licet sint principia remota. Secundo autem modo non est verum quod sola ratione differunt, scilicet totum hoc intellectus cum una proprietate relativa et voluntas cum alia, immo differunt re ratione relationum. Sunt enim diversae relationes reales disparatae, licet non relative oppositae secundum quod sunt in persona quae non est ab alia, ut iam dicitur. Nec est simile de aliis attributis, quia rationes eorum non dicunt propria principia aliquarum actionum omnino, sicut faciunt natura, intellectus et voluntas. Propter quod, non obstante quod sola ratione differunt, possunt esse propria principia actionum essentialium, et sub rationibus proprietatum relativarum etiam possunt esse principia actionum notionalium, ut iam videbitur.

Ad quartum quod «*diversus modus emanationis secundum speciem non diversificat emanans secundum speciem*» etc., dicendum quod large sumendo diversitatem secundum speciem ponimus in divinis specie differre duos emanationis modos et modos essendi diversos personarum divinarum, iuxta illud quod dicit AMBROSIUS proxime ante auctoritatem inductam. «*Quod non ex alio sit Pater, nec ex se Filius; species hic videtur esse diversa, species utique distincta sed indistincta divinitas*». Per hunc etiam modum etiam ipsas personas iam dicemus specie differre. Sed cum «*diversitas sive distinctio*

secundum speciem procedit a forma», secundum PHILOSOPHUM XI^o Metaphysicae, secundum quod duplex est forma; vel, ut magis proprie loquar, duae rationes formae, scilicet absolutae quae est ipsius essentiae, et relativae quae est ipsius proprietatis. Secundum primam in divinis nulla est distinctio secundum speciem, immo Deus est una species in unica singulari natura non plurificabili. Quam tamen distinctionem arguebant esse in Deo, si in ipso sit ponere esse ingenitum et genitum, quia ambos esse unius substantiae secundum numerum intelligere non potuerunt. Unde et contra tales dicit AMBROSIVS assumptam propositionem: quod «*in plerisque sunt diversa initia*» secundum diversum modum habendi et accipiendi, ubi tamen non est nisi una natura habita aut accepta. Et hoc declarat in creaturis de una natura communi quae divesimode producta est in diversis, secundum quod declarat ex textu Genesim. Et in fine declarationis concludit: «*Itaque advertimus quae eiusdem generis sunt diverso modo esse coepisse, alia de aquis, alia de terra, alia de maris et feminae generatione, et tamen unius esse naturae. Itaque si in his quae mortalia sunt, hoc potest convenire, quemadmodum Patris et Filii et Spiritus Sancti divinitati legem cuiusdam necessitatis imponunt?*» scilicet diversa initia. Secundum autem formam respectivam in divinis bene est distinctio secundum speciem vel quasi. Sicut enim paternitas et filiatio sunt relationes diversae quasi specie, sic Pater et Filius constitutae personae per illa sunt personae quasi specie diversae, sed continentes totam speciem suam in singulis individuis non plurificabilem in aliis, ut infra dicitur; et tali diversitate secundum speciem diversus modus emanationis secundum speciem, ut sunt generatio et spiratio, bene distinguunt emanans secundum speciem.

Ad quintum quod «*unius naturae non est nisi unus modus communicandi eam*», respondendum est distinguendo et ex parte modi communicandi et ex parte naturae communicatae. Ex parte naturae communicatae dicendum quod natura dupliciter communicatur: per actum productionis aut emanationis. Uno modo ut quae habet esse per productionem non solum in principaliter producto, sed etiam secundum id quod est. Alio modo ut quae habet esse secundum id quod est absque productione, licet non in producto. Primo modo omnes formae creaturae habent esse per productionem, quia non solum habens formam habet esse per productionem, sed etiam ipsa forma quia ex se non habet esse omnino. Secundo modo forma deitatis habet esse per productionem quia in ipso producto, non autem in se, quia ex se habet esse etiam in supposito producto. Propter quod dictum est supra quod in divinis forma deitatis nullo modo producitur, sicut neque materia in naturalibus, sed solum habetur per productionem. Forma vero naturalis quodam modo genera-

tur. Sed primo modo proprietas personalis personae productae quodam modo habet esse per productionem, ut supra dictum est. Sed illa nullo modo est communicabilis, nec in se quia singularis est in quo convenit cum deitate, nec in suppositis diversis, et in hoc differt ab eadem. Ex parte vero modi communicandi dicendum quod modus communicandi naturam potest dici unus vel diversus: aut tantum ex parte communicantis et producentis id cui communicatur; vel tantum ex parte ipsius actus producendi illud; vel utroque modo. Isto tertio modo unius naturae bene est diversus modus communicandi in creaturis, ut patet in exemplis AMBROSII iam positus de productione eiusdem volatilis secundum speciem modo de aquis, modo de terra, modo per coniunctionem maris et feminae. Sed hoc non contingit in illis modis quae non fiunt naturaliter in creaturis absque sexuum commixtione, nisi ubi agens est supernaturale. In divinis etiam unius naturae bene est diversus modus communicandi, ut deitatis a Patre in Filium per generationem, et ab utroque in Spiritum Sanctum per spirationem. Primo modo adhuc eiusdem naturae est diversus modus communicandi in creaturis, et hoc vel ab altero agente supernaturaliter, vel utroque naturaliter.

De primo ponit AMBROSIIUS exemplum de veritate naturae carnis humanae quae in Christo et nobis *diversis* est *orta principii*; erat tamen unus modus formandi eam. Supplevit enim Spiritus Sanctus id quod semen virile egisse potuisset, et per hoc Virgo, quantum erat in se, naturalis mater fuit. Si vero utroque modo agente naturaliter, sic quaecumque generantur ex propagatione maris et feminae, si virtute solius solis, stellarum et corporum caelestium eadem posset in materia produci commixtionis proportio secundum calidum, frigidum, humidum et siccum, et talis virtus qualis cum naturali calore a generantibus effunditur in semine, eadem secundum speciem possent produci virtute solis, caeli et stellarum absque maris et feminae coniunctione. Et hoc quia ex parte agentis intra et ipsius productionis, iste modus producendi idem est cum illo qui est per propagationem.

Sed illud negarent PHILOSOPHI posse fieri, et ideo non posse eandem naturam communicari per propagationem et sine. Propter quod dicit AVERROES quod mus ex putrefactione generatus et sine non est eiusdem speciei, quod forte non est verum in speciebus vilibus saltem. Si vero modo praedicto est diversus modus communicandi ex parte actus producendi tantum, si agens sit supernaturale bene potest communicare eandem naturam secundum diversos modos producendi eam, vel ex materia praecedente, vel per creationem ex nihilo; si vero sit agens naturale creatum, nequaquam. Et per hunc modum Pater eandem naturam deitatis communicat Filio et Spiritui Sancto secundum diversas

productiones, cuius ratio est fecunditas et perfectio utriusque principii, scilicet naturae et voluntatis in Deo, cum in creaturis non possit esse fecunditas communicandi naturam nisi secundum principium quod est natura, non autem secundum principium aliud, etiamsi principium quod est voluntas sit in illa, et hoc propter eius imperfectionem naturalem.

Ad sextum quod «*persona quae non est ab alia, non est nisi unica*, quare neque illa *quae est ab alia*», non est simile. Et patet quomodo non est simile et per consequens solutio argumenti ex eis quae iam dicta sunt ad corpus quaestionis, et in dissolutione secundae rationis huius quaestionis, et etiam ex dissolutione primi argumenti ad quaestionem 9^{am} praecedentis tituli.

Ad septimum quod «*tria principia sunt emanationum, natura, ars et voluntas*, ergo *tres* emanationes et tres personae *ad minus* procedunt ab illa», dicendum quod in intellectualibus ars et intellectus sunt idem principium, non autem natura et voluntas. Et hoc ideo quia intellectus per obiectum sibi praesens impetu quodam sive quadam immutabilitate naturalis necessitatis elicit actum suum sicut et natura absoluta non intellectualis. Non sic autem voluntas, sed libere fertur in ipsum, secundum quod inferius amplius declarabitur.

Ad octavum quod «*non minus differunt natura et intellectus quam natura et voluntas*, sicut ergo natura et voluntas sunt diversa principia emanationum, *similiter* natura et intellectus» etc., dicendum quod licet minus non differant natura et intellectus quam natura et voluntas secundum rem, minus tamen differunt secundum modum operandi; propter quod, ut iam dictum est, natura et voluntas sunt diversa principia emanationum, non autem natura et intellectus.

QUAESTIO 5

UTRUM PERSONAE DUAЕ QUAЕ EMANANT AB ILLA QUAЕ NON EST AB
ALIA EMANENT AB EA AEQUE PRIMO, PRINCIPALITER ET IMMEDIATE

Circa quintum quod personae duae quae emanant ab illa quae non est ab alia emanant ab illa aequae primo, principaliter et immediate, arguitur primo sic. Emanationes quarum principia sunt aequalis potentiae et fecunditatis in eadem persona, aequae primo, principaliter et immediate emanant ab illa, quia quando nulla est praerogativa inter principia nec inter principiata. Principia emanationum quae sunt natura et voluntas in Patre sunt huiusmodi, quia aliter non esset in ipsis perfecta aequalitas nec per consequens in personis productis ab eis. Ergo etc.

Secundo sic. DIONYSIUS dicit De divinis nominibus cap.^o 2^o: «*Est fontana deitas Pater, Filius autem et Spiritus Sanctus genitricis deitatis, si sic oportet dicere, fructices Deo germinati et veluti flores et superessentialia lumina*». Ubi alia translatio dicit: «*pullulationes divinae naturae et sicut flores et supersubstantialia lumina*». Sed in floribus et in luminibus duobus ab eodem procedentibus aequae primo principaliter et immediate ambo procedunt. Ergo etc.

Tertio sic. Si a persona quae non est ab alia non aequae primo, principaliter et immediate emanarent ambae personae, hoc non esset nisi quia in ea esset aliquid per primam emanationem per quod procederet ad secundam emanationem. Hoc autem est impossibile, quia tunc persona illa respectu emanationis, quae emanat ab illa, non primo et principaliter esset in potentia antequam in actu. Hoc autem est impossibile. Ergo etc.

In oppositum est quod emanationes duae, quae sic se habent quod terminus unius est principium alterius, non procedunt ab eodem aequae primo principaliter et immediate. Emanationes duae praedictae sunt huiusmodi: emanationis enim quae est generatio terminus est Filius, qui cum Patre est unum principium emanationis quae est spiratio, ut infra patebit. Ergo etc.

<SOLUTIO>

<ART. 1: UTRUM PERSONAE AEQUE PROCEDANT A PRIMO>

Dicendum ad hoc quod, secundum superius dicta et determinata iuxta auctoritatem DIONYSII «*monade omnis numerus*», ita quod omnem pluralitatem et numerum ordinatim oportet reducere ad aliquid primum unicum, ita quod nec duo per aequalitatem, ad unum primum habeant reduci. Unde et PHILOSOPHUS vult, X^o *Metaphysicae*, quod in primis differentiis propriorum generum semper est ponere unum nobilius extremum contrarietatis quod primo et principalius participat rationem generis, et alterum vilius quod per defectum aliquem ab illo naturam generis participat. In deitate ergo omnem pluralitatem ordinatim oportet ad unitatem reducere, ita quod duo quaecumque per uniformitatem omnimodam ad unum primum reduci non habeant. Propter quod cum in Deo sit personarum pluralitas, oportet illam reducere ad unitatem deitatis, ut sint plures personae sed tantum unus Deus, sed non per omnimodam uniformitatem habendo sese ad deitatem, sed ordine quodam, ut sit una persona prima quae ex se non ab alio habeat in se cuncta quae deitatis sunt, et ab illa omnes aliae, et per hoc primo, ita quod ad ipsam personae aliae sicut ad suum primum et principium habent reduci; et hoc eadem ratione non nisi ordine quodam, ut una illarum sit principium alterius, et ad ipsam ut suum principium habeat reduci, et sic deinceps ut iam patebit. Si enim duae aequae uniformiter ponantur esse ab una absque ordine, essent in illa una rationes et proprietates principiandi illas duas aequae uniformiter et absque ordine. Et sic aut utraque illarum esset personae illius constitutiva, aut neutra, puta vel illa qua habet aliquis emanare ab ea uno modo, vel illa qua habet aliquis emanare ab illa alio modo, quia ratio communis qua ab illa habent aliae emanare, eo quod est communis non propria, nullius potest esse personae constitutiva. Non autem est dicendum quod neutra sive nulla earum nec una nec ambae, quia per nihil aliud personae constituuntur in divinis nisi per proprietatem qua refertur unus ad alium secundum rationem originis, ut infra dicetur.

Oportet ergo dicere quod utraque illarum est personae quae non est ab alia constitutiva in Deo. Quare cum, ut iam in praecedente quaestione dictum est, rationes illae duae seu proprietates emanationum non sunt unius rationis, sed una se habet modo naturae, alia vero modo voluntatis, non esset unica persona non ab alia, sed duae, non modo secundum eandem rationem ut duae innascibiles aut duae improprocessibiles, sed secundum diversas rationes, ut duae improducibiles a quarum una haberet produci una persona modo voluntatis, ab altera vero alia modo naturae, quod necessario ulterius redundaret contra unitatem unius Dei. Si enim, secundum HILARIUM, plures essent innascibiles, licet secundum eandem rationem proprietatis, plures essent dii. Sic multo

fortius, si plures essent improducibiles secundum diversas rationes proprietatum, plures essent dii. Ita quod sicut unitas Dei requirit unitatem innascibilis, et unus innascibilis unum Deum esse indicat et pluralitas pluralitatem, sic unitas Dei requirit unitatem improducibilis ut unus sit improducibilis secundum unam rationem singularem et unum modum improducibilitatis et unus improducibilis secundum unam rationem unum Deum esse indicat et pluralitas pluralitatem, ut idcirco omnino sit inconueniens et impossibile ut a persona illa quae non est ab alia, emanent duae aliae aequae primo principaliter et immediate.

Et secundum hoc descendendo ad quaestionem dico ad primum argumentum quaestionis de «*aeque primo*» quod, quia una productio illarum necessario — si sic fas esset loqui — praesupponit aliam et non econverso, propterea non aequae primo emanant illae duae ab illa quae non est ab alia, sed ordine quodam naturae, ut li ‘primo’ et similiter ‘secundo’ explicent dispositionem ordinatorum secundum naturalem ordinem originis. Sic enim licet in divinis exprimere ordinata in tali origine, ut habitum est supra. Sed quia dicit RICARDUS, V^o De Trinitate cap.^o 7^o: «*In illa personarum pluralitate et vera aeternitate nihil ibi aliud praecedit, nihil ibi alteri succedit, et eo nihil ibi tempore prius, nihil ibi tempore posterius. Sed quod non potest esse prius temporaliter, potest prius esse causaliter et eo ipso naturaliter. Perfectio enim personae unius exigit utique consortium alterius, et ita fit ut una sit causa alterius*». Ex hoc videtur quod ipse velit quod non solum ordinata naturaliter secundum rationes originum possint explicari secundum statum ordinis sui per illa quae sunt primum, secundum, tertium, per quae absque dubio explicari possunt, sed per illa quae sunt prius et posterius quod reputatur absurdum, quia istud sancti negant, illud vero ponunt. HILARIUS in fine XIIⁱ De Trinitate cap.^o penultimo loquens de Filii Dei nativitate dicit sic: «*Nativitas Deum testetur auctorem non praeposterum aliquid ab auctore significet. Et quidem confessione communi, secunda quidem ab auctore nativitas est quia ex Deo est*». Et cap.^o ultimo: «*Filius ex te Deo Patre Deus verus et a te in naturae tuae ingenitae genitus post te ita confitendus ut tecum, quia aeternae originis suae auctor aeternus es. Nam dum ex te est, secundus a te est*».

Revera si prius et posterius ex se nihil dicerent nisi circumstantias illarum rationum quibus inter se differunt ordinata in quantum ordinem habent, et hoc indeterminate ad rationes ordinatorum in quocumque ordine, ita quod determinaretur earum circumstantia secundum modum ordinis et ordinatorum quibus adiunguntur, ut si adiungerentur eis quae sunt ordinata secundum locum, dicerent prius et posterius secundum locum. Si secundum tempus seu durationem aut secundum naturam, consimiliter dicerent prius et posterius secundum tempus seu duratio-

nem aut secundum naturam. Si vero secundum originem aut secundum rationem tantum, similiter dicerent prius et posterius secundum originem aut secundum rationem tantum.

Et sic proculdubio intelligit RICARDUS quod bene indicat per hoc quod dixit: «*quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter, et eo ipso naturaliter*». Et sumit ibi 'causaliter' et 'eo naturaliter' large pro originaliter, eo enim quo originaliter, eo ipso naturaliter. Unde, libro VI^o cap.^o 7^o, dicit: «*Prius et posterius hoc loco intelligi volumus non temporum successione sed ordine naturae*», et hoc secundum modum quo ordo naturae ponendus est in divinis, prout supra in quaestionibus de ordine attributorum determinavimus. Nec sic inveni aliquem sanctum negantem expresse prius et posterius poni in ordine circa divina, secundum quod notant praecise circumstantiam illius ordinis. Sed quod negant, hoc est maxime secundum quod notant circumstantiam circa ordinata tempore aut duratione aut aliquo aliorum modorum ordinis quae non cadunt aut recipiuntur in divinis, quos tamen in eis ponebant haeretici, et hoc in articulo propositae quaestionis. Quoniam, ut dicit MAGISTER I^o Sententiarum distinctione 12^a: Arius arguebat sic: «*si processit Spiritus Sanctus a Patre, aut ergo iam nato Filio, aut non nato Filio. Si iam nato Filio, ante natus est Filius quam processit Spiritus Sanctus. Si autem non nato Filio, ante processit quam Filius genitus fuit*». Quod bene etiam exprimit HILARIUS, in eo quod post praedictam sententiam suam adiungit in penultimo cap.^o dicens: «*Solus hic itaque pius de Deo sermo est scire Patrem et cum eo eum qui ex eo est Filium. Neque in illud umquam stultitiae atque impietatis erumpam ut te aliquando sine sapientia et virtute et Verbo tuo unigenito Deo domino meo Iesu Christo fuisse praesumam. Nam cum verbum et sapientia et virtus in nobis interioris motus nostri opus sit, tecum tamen perfecti Dei qui et verbum tuum et sapientia et virtus est, absoluta generatio est, ut inseparabilis semper a te sit, qui in his aeternarum proprietatum tuarum nominibus ex te natus es*». Item, post praedictam sententiam in cap.^o ultimo dicit sic: «*Dum vero tuus est non separabilis ab eo es, quia nec sine tuo fuisse confitendus aliquando es, ne aut imperfectus sine generatione, aut superfluum post generationem arguaris*». Idem etiam bene exprimit AUGUSTINUS, respondens dictae rationi haereticorum XV^o libro De Trinitate, ubi dicit: «*In illa summa Trinitate quae Deus est intervalla temporum nulla sunt per quae possit ostendi utrum prius de Patre natus Filius sit, et postea de ambobus procedit Spiritus Sanctus*». Et aliquibus interpositis subdit: «*Non possunt prorsus ista ibi quaeri ubi nihil tempore inchoatur, ut consequenti proficiat in tempore*». Cum ergo quaerit utrum processit Spiritus Sanctus, iam nato Filio aut iam non nato Filio, neutra concedenda est. Sed habendo iuxta eius intellectum aspectum ad ante in tempore, ambae negandae sunt, et illa concedenda est: non processit

iam nato Filio quia similitate aeternitatis ambo processerunt simul, licet originaliter prima fuerit processio Filii et secunda processio Spiritus Sancti, ut dictum est.

Unde quod prius et posterius in divinis circa illa, in quibus est reperire aliquem ordinem, non recipiantur omnino secundum modum illius ordinis, scilicet rationis aut originis, prout determinavimus in quaestione de uniformitate divinorum actuum, hoc magis contingit ex usu quam ex natura rei. Et est ratio usus illa quam supra expressi in quaestione quadam de ordine attributorum, quod prius et posterius sive ante et post in communi usu fundantur super ordinata non ratione habitudinis quam habent inter se, sed ratione rerum quas significant, quarum una posteritatem in ordine habet respectu alterius, ut ibi declaratum est in creaturis. Quod non potest contingere in Deo, quia neque ratione substantiae ipsa enim est unica singularis, neque ratione relationis, quia «relativa *sunt simul natura*», et non sunt plures res in divinis super quas fundari possit.

Sed si quis interius inspiciat relationes notionales in divinis personis, est aliquid invenire in eis propter quod in ipsis fundari possit ratio prioris et posterioris. Relatio enim notionalis in Deo dupliciter potest considerari: uno modo absolute ut relatio est; alio modo ut habet rationem originis, ut scilicet est ratio qua ab alio est aliquis ut est paternitas, vel qua aliquis est ab alio ut est filiatio. Unde et licet relationes secundum primum modum considerandi eas, scilicet ut relationes sunt absolutae, sunt simul natura, nec omnino possint super eas fundari prius et posterius. Nec mirum, quia nec sic relationes ordinem aliquem habent inter se originis aut causalitatis, quia secundum PHILOSOPHUM «relativa *sunt simul natura*», et neutrum est causa alteri ut sit. Secundum modum tamen secundum considerandi eas, scilicet ut pertinent ad originem, non sic sunt simul natura, hoc est naturali intelligentia, in qua non habent differentiam secundum primum et secundum, sicut neque secundum ante et post, quin habeant inter se ordinem naturalem originis, et in quantum huiusmodi non sunt simul natura, hoc est in natura originandi in qua secundum eundem modum habent differentiam secundum primum et secundum et, iuxta dictum RICARDI, differentiam secundum ante et post, ut quo modo Filius dicitur secundus a Patre quia est ab ipso, sic dicatur et posterior eo, posterior scilicet origine non tempore aut duratione aut consimile.

Et secundum hoc ad dictam quaestionem Arii, utrum processit Spiritus Sanctus iam nato Filio an non nato Filio, posset responderi iam nato Filio; ut ante intelligatur natus Filius quam processit Spiritus Sanctus, non quod tempore nativitas Filii praecedat processionem

Spiritus Sancti, sed naturali origine solummodo, ut dictum est. Quia tamen pro aliis modis haeretici intelligebant prius et posterius, ideo Ecclesia ad illos modos habens respectum, simpliciter negabat ea esse in divinis, et ad solos illos modos adhuc retorquet communis usus ante et post, prius et posterius, propter quod negat simpliciter illa recipi ullo modo in divinis. Nec tamen video quin, quantum est ex natura rei et circumstantiarum quas important, possunt recipi in divinis secundum modum quo ordo habet esse in illis, et primum ac secundum, nec tamen astruo sic debere fieri.

Sic ergo revertendo ad propositum dico quod praedictae duae emanationes personarum ab illa quae non est ab alia, non emanant ab illa *«aeque primo»*, sed una primo altera secundo, quia ordine naturae. Licet enim una emanatio non procedit ab altera, una tamen earum naturaliter alteram supponit et non e converso, ut dictum est, ut secundum hoc sit alia ratio ordinis Patris ad Filium et utriusque ad Spiritum Sanctum, et unius emanationis ad alteram. Hanc rationem per alium modum assignat RICARDUS, V^o De Trinitate cap.^o 7^o, dicens: *«Naturaliter est dualitas prior quam trinitas. Nam illa potest esse sine ista, ista vero nequaquam sine illa. Naturaliter itaque et illa processio prior est quae potest subsistere in personarum dualitate quam illa quae non potest esse sine personarum Trinitate»*.

<ART. 2: UTRUM AEQUE PRINCIPALITER PROCEDANT>

Per hoc patet responsio ad secundam partem quaestionis. Sicut enim non *«aeque primo»* illae emanationes personarum procedunt a persona quae non est ab alia, quia secunda requirit primam et non e converso, principalius autem est quod ab altero ad esse eius requiritur quam quod requirit illud; sic non aequè principaliter emanant emanationes, neque personae illae, sed principaliter emanat emanatio illa quae est modo naturae, et similiter persona producta per illam. RICARDUS autem assignat hanc rationem. Loquens enim de illa prima emanatione et prima persona et de ista secunda emanatione et secunda persona per hunc modum, libro VI^o cap.^o 7^o, dicit enim sic: *«Illud primum potest consistere in sola personarum dualitate; illud autem posterius omnino subsistere non potest sine personarum Trinitate. Quantum vero ad ordinem naturae prior est dualitas quam trinitas, nam ubi est trinitas, non potest deesse dualitas; potest autem dualitas esse etiam ubi contingit trinitatem deesse. Quantum ergo ad naturae ordinem principalior processio est illa cui inest principalior procedendi causa»*. Item, alio modo assignat eandem rationem ex parte modorum emanandi, 8^o cap.^o, dicens sic:

«principalior autem est illius processio pro modo naturae quem constat ab innascibili solo procedere». Et cap.º 17º: «Pater tam Filium quam Spiritum Sanctum de se ipso producit; uterque autem consubstantialis sibi existit, et tamen uterque eius Filius dici non potest, quoniam utriusque productio uniformis non est. Si enim utraque uniformis esset, una secundum ordinem naturae altera principalior non fuisset. Inter omnes autem procedendi modos constat primum locum tenere et ceteris principaliores esse illum procedendi modum, qui est Fili a Patre; nam ubi iste non praecesserit, nullus existendi locum omnino habebit». Intellige: praecesserit ordine naturalis originis, non alicuius durationis; ut principalitas etiam illa non dicat gradum aliquem dignitatis, sed modum ordinati in ordine originis, quemadmodum et Pater dicitur principalior persona in Trinitate, ut iam dicitur secundum RICARDUM.

<ART. 3: UTRUM AEQUE IMMEDIATE PROCEDANT>

Ad tertium autem articulum quaestionis utrum aeque immediate procedunt emanationes ambae personarum, primo videndum est quomodo duae personae procedentes ab illa quae non est ab alia, ambae immediate procedunt ab illa, et deinde principale intentum quomodo aeque immediate. Circa primum igitur sciendum est quod in divinis a persona, quae non est ab alia, necesse est personam primo procedentem procedere immediate, dicente RICARDO Vº De Trinitate cap.º 8º: *«Ab illa principalissima existentia necesse est unam aliquam immediate procedere, alioquin oportebit eam solam remanere»*; et hoc tantum immediate, quia non est aliqua alia a qua illa, sive mediate sive immediate, posset procedere. *«Constat namque»*, ut continuo subdit, *«quod ceterarum nulla omnino esse valeat quae non ab illa immediate vel mediate procedat»*. Et hoc quia si a secunda procedit illa immediate, virtutem producendi aliam a se habet a prima, ut etiam illam tertiam necesse sit procedere immediate a prima, ut non solum verum sit de diversis personis productis quod ubi non est immediata productio non potest esse mediata sed etiam de eadem, ut si aliqua una non sit immediate producta ab illa, non potest esse mediate producta ab eadem. Et sic in divinis potest esse immediata productio quae nullo modo est mediata nec requirit aliam mediatam; e converso autem nulla potest esse mediata quin eadem sit immediata, et cum hoc requirat aliam immediatam. Utrum autem sit aliqua mediata, hoc pertinet ad sequentem quaestionem, et ideo usque ad illam reservabitur residuum huius articuli.

Sed quantum ad propositum pertinet: *«utrum duae personae quae sunt ab alia, ab illa quae non est ab alia aeque immediate procedunt»*, est

dicendum quod immediatio quia consistit in negatione medii, licet mediatio posset esse multiplex secundum pluralitatem mediorum, immediatio tamen in simplici et indivisibili consistit in qua non est sumere nisi aequalitatem. Propter quod absolute ponendum est quod personae duae procedentes ab illa quae non est ab alia aeque immediate procedunt ab ea. Aequaliter enim in ipso fecunda est voluntas ut natura, nec magis requirit medium ad producendum personam per modum voluntatis quam natura ad producendum personam modo naturae. Propter quod dicit RICARDUS, VI^o De Trinitate cap.^o 8^o: «*In natura divina aliam invenis processionem quae immediata est et principalis, aliam vero quae immediata est non tamen principalis*», et ex hoc etiam illa, quae usquequaque immediata, est principalior quam illa quae simul est et mediata et immediata, dicente RICARDO, VI^o De Trinitate cap.^o 2^o: «*Processio illa personae de persona usquequaque immediata est secundum principalem procedendi ordinem et secundum naturae operationem*».

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «*principia utriusque emanationis sunt aequalis fecunditatis, ergo aeque primo principaliter et immediate emanant*», dicendum quod aequalis fecunditas bene facit ad aequalem immediationem, ut dictum est, non autem ad aequalem primitatem et principalitatem; propterea quod fecunditas principii secundae emanationis est quasi dependens a fecunditate principii primae emanationis et non e converso, ut dictum est et iam amplius infra dicetur.

Ad secundum de DIONYSIO, dicendum quod sermo eius in dicto illo metaphoricus est et per similitudinem dictus quoad ipsa emanantia, non autem quoad modos emanandi pro quibus procedit argumentum. Est enim similitudo quoad hoc quod personae procedentes in divinis paternam pulchritudinem et claritatem repraesentant, propter quod quasi «*flores et luminaria*» ab ipso procedentia. Non autem est similitudo quoad principia florum duorum aut luminarium quae nullo modo dependent ab invicem in rebus corporalibus, unde tracta est metaphora, sicut quasi dependet principium emanationis secundae productionis a principio emanationis primae productionis, ut dictum est.

Ad tertium quod «*non est ratio quare ambae emanationes personarum non emanant aeque primo principaliter et immediate, nisi quia aliquid est in secunda emanatione per primam*», dicendum quod ad actionem emanationis a voluntate non tam requiritur actus emanationis ab intellectu, quia actio voluntatis requirit cognitionem voliti, quam, quia voluntas

non est principium fecundum ad emanationem personalem ab ipsa, nisi sit communicata productio per actionem emanationis ab intellectu, secundum quod in proxima quaestione sequente declarabitur. Quod vero assumitur in eodem argumento quod «ad actionem emanationis a voluntate nihil requiritur propter quod *non aequè primo emanat persona* ab ipsa quam ab intellectu, quia aliter *esset* ad secundam emanationem *in potentia antequam in actu*», dicendum quod verum est, si requireret tamquam non semper habitum ordine durationis, non autem quando requirit ipsum ut non habitum ex se et sua operatione, semper tamen necessario secum habitum, sed ordine quodam prioritatis originis, si fas esset nobis loqui sic sicut erat RICARDO.

QUAESTIO 6

UTRUM PERSONARUM EMANANTIUM AB ILLA QUAE NON EST AB ALIA,
UNA EARUM EMANET A RELIQUA

Circa sextum arguitur quod duarum personarum emanantium ab illa quae non est ab alia, una earum non emanat a reliqua, primo quod Spiritus Sanctus qui emanat non principali emanatione, non emanat a Filio qui emanat principali emanatione, primo sic. Dicit enim DAMASCENUS, I^o Sententiarum cap.^o 10^o: «*Credimus in unum Spiritum Sanctum Deum ex Patre procedentem et in Filio requiescentem*». Est ergo Filius in quo terminatur Spiritus Sancti processio. Sed non est idem principium a quo quis emanat et terminus in quo terminatur. Ergo etc.

Item, secundo sic. Cap.^o 11^o, dicit «*Spiritum Sanctum et ex Patre dicimus et Spiritum Patris nominamus; ex Filio vero non dicimus, Filii vero Spiritum nominamus*». Item, in epistola De Trisagiono in fine dicit: «*Spiritus hemipostata processio et praemanatio ex Patre, Filii autem et non ex Filio, ut spiritus oris Dei Verbi enuntiativus*». Sed si emanaret a Filio, ex ipso diceretur. Ergo etc.

Item, tertio sic. Libro I^o cap. 7^o: «*Oportet Verbum et Spiritum habere; etenim verbum nostrum non est expers spiritus qui in tempore pronuntiationis vox verbi sit virtutem verbi in se ipsa manifestans. In divina enim natura non est Verbum Dei deficiens verbo nostro, sed sicut Verbum Dei subsistens, ita et Spiritum Dei sequentem cum Verbo et manentem eius operationem intelligimus ex Patre procedentem et in Verbo quiescentem et eius existentiae demonstrativum*». Sed inter enuntiativum sive manifestativum alterius et id cuius est manifestativum non cadit aliquis ordo originis naturaliter. Possunt enim duo sic se habere inter se ut tamen neutrum sit ab altero. Non autem est in divinis

ordo originis inter aliquas personas quin sit inter illas ex necessitate naturae. Ergo etc.

Item, quarto sic. Si Spiritus Sanctus procedit a Filio, hoc non est nisi quia actio voluntatis praesupponit actionem intellectus. Sed quod non propter hoc debet poni procedere Spiritum Sanctum a Filio probatio: quia ad actum voluntatis non requiritur in intellectu nisi notitia quae est intelligere sive cognoscere quam etiam quasi praesupponit actio dicendi verbum, eo quod *«verbum est notitia de notitia»*. Si ergo ambo aequaliter requirunt eandem notitiam, illa non obstante aequè primo possunt secundum naturae ordinem suas emanationes producere. Ergo etc.

Item, quinto: cum Pater spirat immediate, ut iam habitum est supra, per se solum perfectam habet vim spirandi Spiritum Sanctum. Superfluum autem est fieri per plures quod per unicum aequaliter potest fieri. In divinis autem nihil ponendum est superabundans aut superfluum. Ergo etc.

Sexto sic. Si Spiritus Sanctus procederet a Filio, cum a Filio nihil potest procedere nisi ipso iam existente, non autem existit nisi iam natus. Procederet ergo Spiritus Sanctus iam nato Filio, quod negat AUGUSTINUS, ut supra iam dictum est. Ergo etc.

Septimo sic. Si Spiritus Sanctus procedat a Filio cum etiam procedit a Patre: aut ergo procedit ab ipsis secundum quod sunt unus, aut secundum quod sunt duo. Non secundum quod sunt unus, quia nullo modo in unitate alicuius personae concurrunt. Praeterea, si secundum quod unus, tunc convenienter diceretur quod Pater et Filius sunt unus spirator, nullo autem modo quod sunt duo spiratores. Consequens falsum est, ut infra patebit. Ergo etc. Nec similiter secundum quod sunt duo, quoniam Pater et Filius non sunt in aliquo duo nisi in quo occurrit relativa oppositio geniti et ingeniti, secundum DAMASCENUM, libro I^o cap.^o 2^o. Sed in spirando Spiritum Sanctum nulla talis oppositio occurrit, dicente ANSELMO, De processione Spiritus Sancti: *«Ex eo quod Pater et Filius unum sunt, id est ex Deo est Spiritus Sanctus, non ex eo unde alia sunt ab invicem»*. Ergo etc.

Octavo sic. Si Spiritus Sanctus procedit ab ambobus, aut ergo ut sunt unum, aut ut sunt plura. Non ut sunt plura, quia tunc alia esset substantia Patris, alia Filii. Non ut sunt unum, quia unum non sunt nisi in substantia, et illa eadem est in Spiritu Sancto. Ergo eadem ratione Spiritus Sanctus procederet a se ipso, quod est impossibile.

Nono sic. Si procederet ab utroque, aut ergo ut ab uno principio, aut ut a pluribus. Non ut ab uno, quia neque ratione personae, quia non sunt una persona; neque ratione substantiae, quia tunc esset simul cum

eis principium sui ipsius; neque ratione proprietatis alicuius quae est communis spiratio activa, quia si propter unitatem talis proprietatis quae est ratio eliciendi actum, duo dicerentur unum principium. Eadem ratione propter duas proprietates quae sunt rationes eliciendi duos actus, ut sunt paternitas respectu generationis et spiratio respectu spirationis secundum quod ambae sunt in Patre, Pater diceretur esse duo principia Filius et Spiritus Sanctus, quia unum principium Filius et aliud Spiritus Sanctus. Consequens falsum est, ergo et antecedens.

Praeterea. Si essent unum principium, aut ergo unum quod est Pater, et sic Filius esset Pater; aut quod non est Pater, et sic Pater non esset Pater; quae ambo falsa sunt. Ergo etc.

Decimo sic. Si Spiritus Sanctus procedit ab utroque, aut ergo ut ab uno spiratore, aut a duobus. Non ut ab uno, quia spirator est denominatio ab actu ut egreditur a supposito. Sed ab actu supposita plura denominantur pluraliter, ut plures spirantes. Ergo etc. Non ut a duobus, quia spiratorem esse importat rationem principii, et non spirant ut duo principia. — Item, non creant ut duo creatores, sed ut unus, quare neque spirant. Neque similiter ab eis ut sunt duo principia, quia non est in eis nisi una ratio communis singularis spirandi Spiritum Sanctum, propter quam convenit eis ratio principii respectu Spiritus Sancti.

Quod etiam Filius non emanet a Spiritu Sancto arguitur primo sic. Spiritus Sanctus procedit modo voluntatis, Filius modo intellectus. Sed quod voluntatis est supponit quod est intellectus, non econverso, dicente DAMASCENO, libro II^o cap.^o 26^o: «*Voluntarium est cuius principium est in ipso scientes*». Et AUGUSTINUS Ad Orosium: «*Praeire voluntas sapientiam non potest*». Illud autem a quo aliud emanat quodam modo prius est ipso. ut supra dictum est. Ergo etc.

Quod unam earum necesse sit procedere ab alia arguitur sic. Dicit RICARDUS, V^o De Trinitate cap.^o 10^o: «*Si gemina persona de una tantum procederet, neutra alteri immediate adhaereret*» et ut dicit cap.^o 12^o: «*Si vero neutra alteri immediate adhaeret, forent utique mediata germanitate coniunctae*». Et sic non esset inter personas divinas summa et aequalis germanitas, quod est impossibile.

Quod autem emanet Filius a Spiritu Sancto arguitur per AUGUSTINUM, IX^o De Trinitate cap.^o ultimo: «*Partum mentis praecedit appetitus*». Appetitu voluntatis procedit Spiritus Sanctus, ut habitum est, partu vero mentis Filius sive Verbum. Ergo etc.

Quod autem a Filio procedit Spiritus Sanctus dicitur in symbolo Athanasii: «*Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*».

<SOLUTIO>

Ista quaestio tangit controversiam de processione Spiritus Sancti. Qui enim dicunt Spiritum Sanctum non procedere a Filio dicunt quod neutra personarum emanantium a persona quae est a nulla, emanat a reliqua, quia illae duae personae emanantes sunt Filius qui emanat modo naturae, et Spiritus Sanctus qui emanat modo voluntatis. De Spiritu Sancto autem nullus umquam dubitavit an Filius de ipso procederet; omnes enim ab initio fidei hoc negaverunt, nec proculdubio hoc introduxerunt, eo quod nec Scriptura Sacra in aliquo dicto insinuat, aliquam auctoritatem ascribendo Spiritui Sancto supra Filium, qualis debet esse eius a quo procedit aliquis super illum qui procedit ab eo. Illud enim quod Christus dixisse scribitur I s a i a e 48: «*Dominus misit me et spiritus eius*», intelligitur dixisse de missione sua ad praedicandum, et pro natura humana super quam Spiritus Sanctus mittendi habuit auctoritatem.

De hac ergo quaestione nulla est dubitatio nisi quoad processionem sive emanationem Spiritus Sancti a Filio. Et dicit MAGISTER, distinctione 12^a libri Iⁱ, quod «*hoc multi haeretici negaverunt*». Et sunt aliqui qui totam ecclesiam graecorum, quia in hoc non concordat in omnibus cum ecclesia latinorum, haeticam in hoc esse dicunt; quod durum videtur multis propter IOANNEM DAMASCENUM et quam plurimos alios doctores graecorum. Propter quod dicunt quod in dictis graecorum non est contrarietas dictis latinorum circa Spiritus Sancti processionem quantum est ex parte rei. Et hoc ostendunt aliqui ex parte verbi quo graeci suam intentionem exprimunt. Alii vero hoc ostendunt ex parte modi dicendi et exprimendi suam intentionem.

Primi dicunt quod procedere apud graecos cum hoc quod dicit personae emanationem et egressum eius ab illo a quo emanat, dicit etiam progressum eius in alium ut in quo quiescit egrediens et emanans. Unde quamquam intelligerent Spiritum Sanctum egredi et emanare ab utroque, non tamen secundum proprietatem vocabuli apud ipsos potuerunt dicere quod procederet a Filio, quia etsi ab utroque exit, exit tamen a Patre in Filium et non econverso, et hoc in quantum in emanatione Spiritus Sancti vis spirativa habet esse a Patre in Filio et non econverso. Sed contra hoc est I o a n n e s in eo quod dicit, ut iam habitum est, «*Spiritum Sanctum ex Filio non dicimus*». Sicut ergo graeci non dicunt Spiritum Sanctum procedere a Filio, sic non dicunt ipsum esse ex Filio quocumque etiam modo emanationis. Et hoc verum est pro multis ex eis. Aliqui tamen ex eis, ut dicunt qui libros eorum viderunt, dicunt quod procedit ex Filio. Dicit enim, ut dicunt, CYRILLUS loquens de Filio: «*Spiritus veritatis profluit ab eo sicut denique ex Deo Patre*». Et

DIDYMUS in libro De Spiritu Sancto: «*Neque alia est Spiritus Sancti substantia praeter id quod ei datur a Filio*». Idem ibidem, ut Decretorum cap.^o ultimo: «*Salvator ex se non est, sed ex Patre et me est*», secundum quod super hoc MAGISTER in Sententiis distinctione 12^a plures inducit auctoritates.

Ideo alii dicunt ad excusationem illorum qui nec dicunt Spiritum Sanctum ex Filio esse, quod graeci licet non dicunt Spiritum Sanctum esse ex Filio, hoc tamen non negant. Ratio quare hoc non dicunt est quia, ut dicit IOANNES DAMASCENUS in principio Sententiarum suarum pro se et suis: «*Omnia quae tradita sunt nobis et per legem et prophetas et apostolos et evangelistas suscipimus et veneramur et cognoscimus nihil ultra haec quaerentes. Haec nos diligamus et in his maneamus et non transeamus terminos aeternos, et neque transgrediamur divinam traditionem*». In quo concordat cum beato DIONYSIO dicente: «*Non est audendum dicere aliquid de substantiali divinitate praeter ea quae divinitus nobis ex sacris eloquiis sunt expressa*». Quare cum in sacris eloquiis non continetur expressum de Filio quod ab ipso processerit Spiritus Sanctus, sicut hoc continetur expressum de Patre, Ioannis 15^o: «*Spiritum veritatis qui a Patre procedit*», idcirco ergo non dicunt Spiritum Sanctum procedere a Filio, et hoc maxime quia nec synodus generalis Nicena super professione fidei habita hoc expressit, ubi legitur sic: «*Credimus in Spiritum Sanctum ex Patre procedentem cum Patre et Filio adorandum*». Etiam quia in quibusdam conciliis sub interminatione anathematis invenitur prohibitum ne aliquid symbolo ordinato in conciliis addatur. Item, quia tempore apostolorum dicitur conscriptum fuisse in quadam legenda BEATI ANDREAE: «*Pax omnibus qui credunt in unum Deum Patrem et in unum Filium eius et in unum Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et in Filio permanentem*». Nec tamen graeci negabant expresse Spiritum Sanctum procedere a Filio nisi illi qui ex eis expresse erant haeretici.

Sed numquid sufficit IOANNES DAMASCENUS et sibi similibus hoc non dicere et in hoc pro dubio habere aut falsum esse insinuare, cum dicat APOSTOLUS Ad Romanos X^o: «*Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*». Revera antequam fuit id determinatum et expressum per Ecclesiam et posteriores, sufficit confiteri quod Spiritus Sanctus procederet a Patre, non dicendo nec profitendo ipsum procedere a Filio, quia licet etiam contraria opinari circa notiones divinas et alia credibilia quousque veridica ratione aut per auctoritatem Ecclesiae sint detecta, sicut hactenus detectum est quod Spiritus Sanctus procedat a Filio. Hoc enim ordinatum est profiteri et addi in symbolo Niceni concilii sic: «*Et in Spiritum Sanctum vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit*». Et est additum illud 'filioque' auctoritate concilii Ephesini, I'

Decretorum in penultimo cap.^o de Spiritu Sancto ubi dicitur: *«Spiritus appellatus est veritatis et veritas Christus est. Unde etiam ab isto similiter sicut a Deo Patre procedit»*.

Nec hoc statuerunt sancti patres sola voluntate movente, sed ex veridica ratione hoc eis ostendente et declarante. Sunt enim ad hoc rationes quaedam ducentes ad impossibile sive inconueniens, sed fortior est ratio ostensiva. Ratio una ducens ad inconueniens, quod secundum ANSELMUM *«in Deo est impossibile»*, est ratio RICARDI iam tacta, quod non essent Filius et Spiritus Sanctus summa germanitate coniuncti. Unde ut perfecta sit germanitas, oportet singulam singulae immediate coniungi ut sint a prima duae et tertia sit a duabus et media sit ab una et ab ipsa sit alia, ut sic sit in Trinitate plena aequalitas quasi triangulo clauso in tribus lineis cui nihil addi vel subtrahi possit, ut scilicet a primo puncto procedant singulae lineae ad secundum punctum et ad tertium, et a secundo una ad tertium. Sed ista ratio non plus arguit Spiritum Sanctum procedere a Filio quam econverso Filium a Spiritu Sancto.

Alia vero est ratio aliorum et, ut eis videtur, ducens ad impossibile talis: si Spiritus Sanctus non procedit a Filio, nulla potest esse distinctio Filii et Spiritus Sancti, quia in divinis non est distinctio personarum nisi secundum rationes originis quae non sunt nisi quia unus est ab alio; quare si unus eorum non sit ab alio, nulla est ipsorum distinctio, et non sunt diversae personae, ita quod ponere Filium esse personam aliam a persona Spiritus Sancti, et neutrum eorum procedere ab alio, est ponere non solum impossibile sed etiam impossibile, scilicet quod una persona ab alia sit distincta et non distincta. Ista ratio non ostendit potius Filium procedere a Spiritu Sancto quam econverso sicut neque procedens. Sed illa est efficacior, quia illud ad quod deducit vere inconueniens est et bene sequitur ex positione, sed inconueniens ad quod deducit ista ratio non sequitur ex positione. Etenim si Spiritus Sanctus ponatur procedere a Patre et Filius similiter, et neuter ab altero, tamen Filius a Spiritu Sancto distingueretur, licet aliter et non ita proprie, ut infra videbitur, quam modo, quia sunt quaedam relationes originis et oppositae, ut quae sunt in diversis personis quarum una procedit ab alia, et quaedam disparatae ut quae sunt in eadem persona a qua procedunt diversae diversimode, vel in diversis diversimode procedentibus ab eadem. Primo modo diversae relationes sunt in Patre et Filio, secundo modo in Patre respectu Filii et Spiritus Sancti et in Spiritu Sancto et Filio respectu Patris. Et sufficit ista relationum diversitas in ipsis etiamsi neuter eorum procederet ab alterutro.

Quod declaratur ducendo ad impossibile dando oppositum. Quoniam si Filius et Spiritus Sanctus non distinguerentur ab invicem

nisi quia a Filio procedit Spiritus Sanctus, ea ergo ratione qua Spiritus Sanctus procedit alio modo a Patre quam procedat ab eodem Filius, non distinguitur Spiritus Sanctus a Filio, et si sic, ergo eadem ratione nec emanatio qua Spiritus Sanctus procedit a Patre, ut procedit ab ipso, non distinguitur ab emanatione qua Filius procedit a Patre. Et ulterius nec vis spirativa qua a Patre emanat Spiritus Sanctus a vi generativa qua a Patre emanat Filius, et sic Filius et Spiritus Sanctus, in quantum ambo procedunt a Patre, non sunt distinctae personae sed unica. Neque similiter emanationes generationis et spirationis sunt diversae emanationes sed unica tantum. Et similiter vis generativa et spirativa non sunt distinctae vires sed unica, nisi forte secundum rationem tantum. Et sic aequae principaliter primo et immediate a Patre procederent Filius et Spiritus Sanctus, quia ista primitiva principalitas et immediatio non fundantur nisi super diversas rationes originandi in ordine naturae, ut dictum est. Sed huius contrarium ostensum est et determinatum in praecedente quaestione.

Uterius si vis spirativa ut Patris est, non distingueretur a vi generativa, neque spiratio a generatione. Quare cum Filius vim spirativam non habet nisi a Patre, et non magis distinctam a vi generativa quam secundum quod eam habuit Pater, similiter emanatio spirationis ut est a Filio non distingueretur ab emanatione generationis, nec etiam per consequens ipse Spiritus Sanctus a Filio, quod totum falsum est.

Distinguuntur ergo sufficienter relationibus disparatis Filius et Spiritus Sanctus si neuter ab altero procederet, sicut et ipsorum processiones, quae aliter non distinguuntur, similiter neque principia elicitiva eorum ut sunt sub respectibus personalibus, ut secundum hoc distinctionem inter personas Filii et Spiritus Sancti per relationes oppositas cum procedunt ab invicem, necesse est reducere ad distinctionem emanationum, et ulterius ad distinctionem principiorum emanandi per relationes disparatas, ita quod si non esset ista distinctio disparationis relationum, nec illa oppositionis. Propter quod etiam diversae relationes disparatae bene possunt esse in eadem persona principiante, licet non in eadem persona principiata, ut dictum est supra.

Non est ergo aliter quaerenda distinctio istarum duarum emanationum, licet enim inter personas est distinctio per relationes non solum disparatas et quasi differentes specie, ut infra dicetur, sed etiam per oppositas in quantum scilicet una earum procedit ab alia; inter tamen emanationes non est quaerenda distinctio nisi per relationes disparatas secundum diversum modum procedendi, non per oppositas relative, quia non procedit una processio ab alia, nec relative dicitur ad ipsam, sive secunda processio emanet ab unica persona sive a duabus. Sed

tamen ordo naturae est inter ipsas in quantum una quasi praesupponit aliam, etiamsi secunda processio non esset a Filio, ut dictum est. Ut secundum hoc alio et alio modo sit ordo naturae inter processiones, alio vero modo inter personas, ut non debeamus consimilem modum distinctionis omnino quaerere inter emanationes qualem videmus inter personas.

Istum autem modum distinctionis emanationum et non alium aperte insinuat AUGUSTINUS, XV^o De Trinitate cap.^o 27^o, determinando quod propter huiusmodi distinctionem emanationum Filius distinguitur a Spiritu Sancto quoad hoc quod unus dicatur Filius, alter non, sic dicens: «*In illa aeterna aequali incorruptibili et ineffabiliter immutabili Trinitate difficillimum est generationem a processione distinguere*». Et infra: «*Attolle oculos ad istam lucem et eos in ea fige si potes. Sic enim videbis quid distet nativitas Verbi Dei a processione doni Dei, propter quod Filius unigenitus, non de Patre genitum — alioquin frater eius esset — sed procedere dixit Spiritum Sanctum*». Et interposita declaratione horum in verbo procedente de nostra intelligentia et amore de voluntate, subdit: «*Et ideo quandam in hac re intelligibili nativitatis et processionis insinuari distantiam*». Quod clarius explicat ANSELMUS, dicens in principio De processione Spiritus Sancti: «*Haec itaque sola causa pluralitatis est in Deo ut Pater et Filius et Spiritus Sanctus dici non possunt de invicem, sed alii sunt ab invicem, quia praedictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio. Nam quoniam Filius existit de Deo nascendo, et Spiritus Sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis et processionis referuntur ad invicem ut diversi et alii ab invicem*». Et infra: «*Nam si per aliud non essent plures Filius et Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi*».

Quod autem praedicti ponunt in sua ratione quod ponere Filium esse distinctum a Spiritu Sancto si non procedat ab ipso, est ponere impossibilia, dicendum quod non est verum, sicut ponere hominem differre a bruto si non esset risibilis non est ponere impossibile, scilicet quod differret a bruto et non differret, sed solum est ponere illud impossibile quod non differret a bruto per risibilitatem, aut quod esset homo sine risibilitate. Et similiter in proposito solum ponitur impossibile, scilicet quod Filius non differt a Spiritu Sancto spiratione activa si non procedit ab ipso, aut quod esset Filius absque eo quod spiraret Spiritum Sanctum; non tamen sequitur quod non differt ab eo omnino, sicut non sequitur quod homo, si non sit risibile, non differt a bruto omnino, immo etsi non esset risibile, posito per impossibile quod tamen esset, tamen differret a bruto rationabilitate. Sic et in proposito Filius a Spiritu Sancto nascibilitate differret, etsi non procederet Spiritus Sanctus ab eo, posito tamen per impossibile quod esset.

Ad cuius intellectum sciendum quod tunc solum ponitur aliquid per impossibile, quando ponitur cum eo quod principaliter ponit contradictorium eius, quod non contingit nisi quando illud privat aliquid quod est de eius significato et essentia, ut si dicatur homo, si non esset rationalis, differret a bruto, quia remoto rationali non manet nisi id quod communicat cum bruto. Quando vero non illud implicat quod est de significato et essentia positi, tunc non ponit principaliter contradictorium eius, sed solum per quandam consequentiam. Et ideo tale positum solummodo ponitur per impossibile, ut si ponatur homo et quod non sit risibilis. Risibile enim, quia accidens hominis est, est extra significatum eius. Sic est in proposito ponendo Filium et non procedere ab eo Spiritum Sanctum. Spiratio enim activa est extra significatum Filii et quasi consecutiva personae eius ordine quodam, ut patet ex dictis. Et ideo sicut verum esset dicere quod homo, si non esset rationalis, non differret a bruto quia non differt per se nisi rationali quod privatur, sic verum est dicere quod homo, si non esset risibile, differret tamen a bruto, quia differt per se per rationale, quod non privatur nisi per consequentiam quandam privatione risibilis, quae tamen consequentia neganda est quia repugnat posito.

Repugnans autem, posito quod est extra essentiam et significatum suum, semper in falsis positionibus negandum est, secundum artem PHILOSOPHI, VIII^o T o p i c o r u m . Et consimiliter verum est dicere in proposito quod Filius, etsi non spiret Spiritum Sanctum, quod tamen differt a Spiritu Sancto nativitate secundum praedictum modum, quia non spirare non privat nativitatem a Filio nisi per quandam consequentiam, ut patet ex iam dictis. Praeterea, esto quod spirare sit de essentia et significato personae Filii, ut sit impossibile ponere Filium et Spiritum Sanctum non procedere ab ipso, quia tamen non pertinet ad personam Filii nisi sicut aliquid quod est commune ei cum Patre, cui proprium quo differt a Patre est nativitas, quemadmodum esse animal commune est homini cum bruto, proprium vero est ei rationale quo differt a bruto. Sicut ergo verum est dicere quod homo, etsi non esset animal sed rationale tantum, differret tamen a bruto quia brutum non est rationale, sic verum est dicere in proposito quod Filius, etsi non spiret Spiritum Sanctum, quod differt a Spiritu Sancto quia ille non est natus, non obstante impossibilitate implicata utrobique. Sed falsum esset dicere quod Spiritus Sanctus, etsi non spiratur, quod differret a Filio, quia spirari est proprium constitutivum personae Spiritus Sancti quo differt a Filio, et implicantur impossibilia.

Sed contra hoc arguitur secundum sustinentes contrarium sic. Relatio non distinguit in divinis nisi secundum quod realis est et ratione

suae quidditatis. Ratio autem suae quidditatis et realitatis secundum quam una est alia ab altera, non sumitur nisi ex eo quod per ipsam suppositum refertur ad suum oppositum. Si ergo Spiritus Sanctus non procederet a Filio, et ita non distingueretur ab ipso secundum aliorum opinionem, nec in Patre generatio et spiratio distinguerentur ut disparata nisi secundum rationem tantum, sicut nec Filius distingueretur a Spiritu Sancto nisi secundum rationem tantum. Et est dicendum quod istud assumptum ab eis pro principio, quod realitas relationis secundum quam una est ab altera non sumitur nisi ex relatione ad oppositum, falsum est, quia relationis realitas non sumitur omnino ex respectu ad suum oppositum, sed ex suo fundamento, ut saepius dictum est in aliis quaestionibus et inferius amplius dicitur.

Ad propositum ostendendum efficacius, scilicet quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, est ratio ostensiva explicans causam positionis talis: secundum enim quod dictum est supra in principio solutionis quaestionis praecedentis, ab eodem principio per omnimodam aequalitatem absque omni ordine impossibile est plura procedere. Hoc enim non contingit nisi in differentibus materialiter et solo numero, quemadmodum unus faber plures producit cultellos nec unum mediante altero, vel una lux plures radios.

Sed ut evidentius illud applicemus ad propositum nostrum, paulo altius inchoando, sciendum est secundum diu superius determinata quod esse est primum et proprium magis omnium eorum quae Deo conveniunt, quod secundum intellectum ante se in Deo nihil praesupponit, sed omnia alia esse in suo intellectu includuntur. Propter quod dicit DIONYSIUS, cap.^o 5^o De divinis nominibus: «*Ante alias Dei participationes esse praepositum est et est ipsum per se esse maximum. Merito igitur aliis principalius sicut ens Deus laudatur ut praestantiore et digniore aliorum donorum eius*», ita ut propterea quodam modo ordine quodam rationis et intellectus nostri ex esse quasi primo et principio procedit vivere, et ex vivere intelligere, et ex intelligere velle. Sed alium et alium modum ordinis in procedendo habent intelligere ex vivere, vivere ex esse quam velle ex intelligere, quia illa tria se habent inter se in essendo unum ab altero quasi per quandam informationem. Intelligere enim est quoddam vivere et vivere est quoddam esse. Non sic autem intelligere et velle se habent inter se, sed potius quasi per quandam distinctionem; non enim velle est intelligere quoddam, nec e converso. Et similiter est de intelligentia et voluntate, et hoc quia ordinem quandam rationis habent inter se, hoc est, licet enim ambo sint quasi potentiae naturales naturae immaterialis viventis, tamen actio voluntatis requirit quasi actionem intellectus et non e converso. Intelligere enim possumus quae

non volumus, sed velle non possumus quae non intelligimus sive cognoscimus, secundum AUGUSTINUM. Et propter hoc etiam quodam modo quasi immediatius secundum intellectum nostrum se habet intelligentia ad vitam quam voluntas, ut quasi ordine quodam rationis ex vita quasi procedunt, et sicut est talis ordo rationis in ipsis ut habent esse in persona quae non est ab alia quoad ipsorum actus essentiales qui sunt velle et intelligere, sic est in ipsis ordo naturae quoad ipsorum actus notionales qui sunt dicere, sive generare et spirare. Sicut enim voluntatis perfectio quoad suum actum essentialem quasi prius requirit quasi praevidiam perfectionem intelligentiae quoad eius actum quasi primum et essentialem, sic perfectio eius quoad suum actum notionalem; quasi secundum, quo in sua perfectione consummatur, ut dictum est supra, requirit quasi secundam perfectionem intelligentiae, scilicet quoad eius actum notionalem, quasi secunda autem perfectio intelligentiae consistit in productione Verbi; quasi secunda autem perfectio voluntatis consistit in amore procedente qui est Spiritus Sanctus, secundum quod inferius declarabitur.

Necessario ergo ordine naturae productio Spiritus Sancti quasi praesupponit productionem Filii. Unde et DAMASCENUS dicit, libro I^o cap.^o 7^o: «*Spiritum Sanctum sequentem cum Verbo. Neque deficit Pater umquam Verbo, neque Verbo Spiritus*». Sed illud potest intelligi sequentem cum Verbo non ipsum Verbum sed Patrem. Quod non potest stare, quoniam Pater opere intelligentiae produciens Verbum omnia quae sua sunt ipsi communicat praeter proprietatem suam originis qua generat, et relativa oppositione se habet ad ipsum, dicente AUGUSTINO XV^o De Trinitate cap.^o 14^o: «*Verbum Dei Patris unigenitus Filius per omnia Patri similis et aequalis, est hoc omnino quod Pater nec tamen Pater, quia iste Filius, ille Pater*». Et sequitur post pauca: «*Proinde tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia, nec enim se ipsum integre perfecteque dixisset si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo quam in ipso*». Quidquid ergo est in Patre praeter eius proprietatem relativam ad Filium qua Pater est, et Filium generat sive Verbum dicit, Filius habet a Patre sibi communicatum per generationem; quare et suam voluntatem fecundam vi spirativa. Quare cum in quibus est eadem vis activa communis quae est principium actionis, et eadem actio communiter procedit ab ambobus, sicut ergo Pater vi illa spirat Spiritum Sanctum ut ab ipso procedat, similiter et Filius ut ab ipso procedat sicut a Patre, ut sic eo modo quo sequitur Patrem, sequitur et Verbum. Et hoc est quod dicit RICARDUS, libro V^o cap.^o 8^o: «*Si idem est posse ambobus commune, consequens est tertiam in Trinitate personam ex ambobus et esse accepisse et existentiam habere*». Et post aliqua interposita: «*De se immediate existenti dedit quidquid ab omnipotente veraciter*

dari potuit. Est ergo eis commune illud esse a quo ceterorum omnium et esse et posse. Ab hac igitur gemina existentia est essentia omnis, omnis existentia, omnis persona, ergo et illa quae est tertia in Trinitate persona. Et sicut perfectio unius est causa alterius, sic sane perfectio geminae est causa tertiae in Trinitate personae. Propter quod dixit Filius de Spiritu Sancto, Ioannis XVI: *«Ille me clarificabit quia de meo accipiet»*. Et ne dicatur “verum est quod accipiet sed a solo Patre” addit: *«Omnia quaecumque habet Pater mea sunt»*, in quo includitur auctoritas principii et vis spirativa quam Filius habet a Patre et communem cum Patre, per quod insinuat etiam a se habere de suo.

Ex quo patet omissum in quaestione praecedenti, quod prima persona, quia ex se habet potentiam qua producitur tertia, quod immediate eam producit et cum secunda, quia potentiam illam habet secunda a prima, etiam quod per illam potentiam secunda immediate producit tertiam, et quod tertia persona a prima non solum immediate sed etiam mediate procedit; nullam tamen mediate tantum possibile est produci in divinis, ut dictum est ibi. Propter quod dicit RICARDUS, V^o De Trinitate cap.^o 6^o: *«In humanis quandoque procedit persona de persona tantummodo immediate, quandoque tantummodo mediate, quandoque autem simul mediate et immediate. Tam Iacob quam Isaac de substantia Abrahae processit, sed unus mediate tantum, alter immediate tantum»*. Sed istis processiones divinae, sed magis illa qua de substantia Adae procedit immediate Eva, et de substantia utriusque immediate Seth, et per Evam mediate de substantia Adae, ut sic Seth de Adam processerit simul immediate et mediate. Unde ut concludit in 9^o cap.^o: *«Necesse est unam existentiam innascibili immediate esse coniunctam, et aliam tam mediate quam immediate, nullam autem mediate tantum»*. Et ut concludit in cap.^o 10^o: *«Si quarta in deitate persona esse potuisset, proculdubio ex ceteris tribus eam originem trahere immediate oporteret. Et si quinta persona esse potuisset, simili ratione de ceteris quatuor immediate procederet, et sic in sequentibus quantumcumque series huius progressionis protrahatur. Sicut enim in duabus personis commune est illud posse unde constat tertiam originem trahere, sic proculdubio illud posse commune esset tribus, unde quartam esse oporteret si quarta in divinitate locum haberet. Alioquin duae avarae sibi reservarent quod tertiae salva utriusque proprietate dari posset. Quod in istis diximus, proculdubio invenies in consequentibus; nam huiusmodi differentia proprietatum in numero constat producentium, nam prima habet esse a nulla alia, altera ab una sola, tertia vero a gemina; et si numerus in plures abundaret, eundem progressionis tenorem per omnes inveniri oporteret»*. Sic ergo patet veridica ratione quod ex necessitate naturae divinae Spiritum Sanctum necesse est procedere a Filio, quidquid dicant graeci.

Nec valet eis quod, secundum DIONYSIUM, «*nihil de deitate audendum est dicere praeter ea quae sacris litteris sunt expressae*». Verum est vel mediate vel immediate. Immediate enim licet sacris eloquiis solum exprimitur id ad quod significandum verba per se sunt imposita, mediate tamen eisdem exprimitur quicquid per id quod verba primo significant, veridica ratione elici et intelligi potest. Propter quod dicit AUGUSTINUS in sermone illo 'Quia profundissime': «*De assumptione beatae Mariae Dei matris tanto quae magna sunt cautius tractanda existunt quanto specialius auctoritatum testimoniis non possunt ad liquidum roborari. Sed quia*», ut dicit continue, «*quaedam Scriptura Sancta veris indagationum studiis quaerenda reliquit, non superflua aestimanda dum vera indagatione fuerint proposita. Fecunda est enim veritatis auctoritas, et dum diligenter discutitur, de se gignere quod ipsa est cognoscitur. Saepe enim discussa veram intelligentiam parat, quam manifestis sermonibus abscondit*». Ex quibus post pauca concludit: «*Quid ergo dicendum unde divina Scriptura nihil commendat, nisi quaerendum ratione quid consentiat veritati, fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua necesse est ne valeat auctoritas?*»

Quamquam ergo per verba Scripturae non sit expressum ut sensus eorum immediatus, est tamen expressum per ipsa ut sensus eorum mediatum veridica ratione eliquandus ex sensu immediate expresso. Ex eo enim quod dicit Scriptura Spiritum Sanctum procedere a Patre, nec potest procedere ab ipso nisi vim illam ordine naturae Filio quasi prius communicet per generationem, quod studio verae indagationis ratio dictat. Ex quibus sequitur, ut patet ex ratione praeposita, quod necessario etiam Spiritus Sanctus procedit a Patre. Per hunc modum ex dictis Scripturae, concludit AUGUSTINUS, XV^o De Trinitate cap.^o 25^o, Spiritum Sanctum procedere de Filio sicut et de Patre, ubi dicit sic: «*De ambobus processit Spiritus Sanctus, quoniam Scriptura Sancta eum dicit spiritum amborum*». Dicitur enim spiritus Filii, <Ad> Romanos VIII^o: «*Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius*» et <Ad> Galatas IV^o: «*Misit Deus spiritum Filii sui in corda nostras*». Dicitur enim spiritus Patris, Matthaei X^o: «*Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri*». Item, de ambobus procedere probatur, quia ab utroque missus legitur, quoniam non est mittens nisi habens auctoritatem supra mittentem. Dicit enim Filius de Spiritu Sancto, Iohannis XV^o: «*Veniet Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre*» et XVI^o: «*Quem mittet Pater in nomine meo*».

Unde propter istum sensum mediatum Sacrae Scripturae, generaliter tenendum est quod id quod de una persona dicitur, intelligitur de aliis, ubi «*non occurrit relationis oppositio*». Et est multum opus ad hanc regulam frequenter inspicere, quoniam, ut dicit MAGISTER SENTENTIARUM, «*cum dicat Spiritum Sanctum a Patre procedere, non addit 'solo', et ideo*

etiam a se procedere non negat, sed ideo Patrem tantum nominat, quia ad eum solet referre etiam quod ipse est quia ab illo habet». Unde dicit AUGUSTINUS, cap.^o 27^o: «Si ergo et de Patre et Filio processit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit de Patre procedit nisi quemadmodum solet ad eum referre quod ipsius est de quo et ipse est? Unde est et illud quod ait: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si ergo intelligitur hic eius doctrina quam tamen dixit non suam sed Patris, quanto magis illic intelligendus est de ipso procedere Spiritum Sanctum, ubi sic ait de Patre procedit, ut non diceret de me non procedit?» Hunc etiam modum consequenter tenuerunt apostoli.

Nec est etiam omnino negandum quin Scriptura expresserit sensu proprio et immediato Spiritum Sanctum procedere ab utroque, licet sub verbis metaphoricis, ubi dicit IOANNES A p o c a l y p s i s XXII^o: «*Ostendit mihi fluvium aquae vivae candidum quasi glaciem egredientem a facie Dei et agni*». Aqua illa Spiritus Sanctus est; sedes Dei et agni concors voluntas est Patris et Filii. Per hoc patet quod nec valet eis quod in symbolo Niceni concilii solum commemoratur Spiritum Sanctum procedere a Patre. Per hoc enim, ut dictum est, dat intelligere quod etiam procedat a Filio.

Quod addunt quod «*sub anathemate prohibet concilium addere symbolo vel subtrahere*», verum est quod non licet addere quod non latet in verborum intellectu, quod non est addere sed implicatum explicare, quod non est aliud sed idem. Illud autem addere symbolo quod aliud est, bene etiam prohibet synodus Nicena quae dicit in fine symboli quod cantatur in missa: «*Qui aliud docuerit vel aliud praedicaverit anathema sit, id est contrarium vel modo contrarium*», secundum quod exponit MAGISTER S e n t e n t i a r u m, qualiter et APOSTOLUS dicit < A d > G a l a t a s V^o: «*Si quis aliud evangelizaverit vobis praeter id quod accepistis, anathema sit*». Ubi dicit AUGUSTINUS, S u p e r I o a n n e m parte 2^a sermone 43^o et in sermone 3^o, super illud «*Adbuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*»: «*Non ait plus quam accepistis, sed praeterquam accepistis; nam si illud diceret sibi ipsi praeiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses ut suppleret quae eorum fidei deerant. Sed qui supplet quod minus erat, non quod inerat tollit*». Et intellige istud 'supplere' non respectu sensus immediati, sed mediati; quando enim quod latet in sensu immediato suppletur, non tollitur quod inerat nec proprie additur, sed explicatur. Unde quantumcumque datur sententia contra addentes et diminuentes, non tangit eos qui per hunc modum addunt ad explicationem et declarationem quae implicata sunt, nisi in sententia expresse prohibeatur talis declaratio, qualis prohibita est sub excommunicatione latae sententiae in expositione regulae Fratrum Minorum editae a NICOLAO PAPA. Propter quod symbolo quod in Niceno concilio sancti patres tradiderunt tempore Constantini Augusti,

timentes sententiam latam in illo concilio de non addendo aliquid symbolo, postmodum «*sub Theodosio seniore Constantinopoli symbolo formam dederunt, et consubstantialem esse Spiritum Sanctum Patri et Filio demonstraverunt, Macedonium qui Spiritum Sanctum Deum esse negabat condemnantes*», ut D E C R E T O distinctione 15^a cap.^o 1^o.

<AD ARGUMENTA>

Ad illud ergo quod primo arguitur in oppositum de DAMASCENO, dicendum quod etsi in Filio terminatur processio Spiritus Sancti, eo quod vis spirativa a Patre habetur in Filio, per hoc non potest excludi, immo necessario debet includi, quod propter eandem vim etiam procedat a Filio, ut dictum est.

Ad secundum ex dicto eiusdem «*Spiritum Sanctum ex Filio non dicimus*», dicendum quod IOANNES DAMASCENUS creditur fuisse in principio quando incepit opinio latinorum divulgari quod Spiritus Sanctus procederet a Filio et graeci hoc affirmare nolebant, quia hoc non habebant expressum ex Scriptura, ut dictum est. Propter quod tamquam graecus nondum foret videns perfecte veritatem, sed in dubio positus non negavit simpliciter sic esse, sed dixit «*non dicimus*», et tamen subdit statim quod Scriptura exprimit. Unde latini probant Spiritum Sanctum procedere de Filio cum dicit «*Spiritum vero Filii nominamus*». Sed huius contrarium dicit statim, ut obiectum est, in epistola D E T R I S A G O N O ubi dicit «*Filii autem et non ex Filio*». Et est dicendum quod forte illam epistolam longe ante scripserat quando firmus erat in opinione, antequam ecclesia latinorum in hoc graecis contrariabatur.

Ad tertium quod «*Spiritus Sanctus, secundum DAMASCENUM, est enuntiativus et manifestativus Filii, talis autem non necessario procedit ab eo cuius est enuntiativus et demonstrativus*», dicendum ad formam argumenti, licet non ad intentionem DAMASCENI, quod persona est enuntiativa et manifestativa personae se ipsa interius in divina natura vel exterius per effectum in creatura. Quod primo enuntiat et manifestat personam, procedit ab illa. Et sic, secundum latinos, Verbum manifestat Patrem et Spiritus Sanctus utrumque. Quod autem solum manifestat secundo modo, nequaquam. Et hoc solum modo graeci et DAMASCENUS ponebant Spiritum Sanctum manifestare et enuntiare Filium, quia procedit ab ipso et mittitur, secundum ipsos, ad creaturas; et in hoc solum, secundum eos, habet auctoritatem super eum propter ordinem suarum processionum. Unde dicit DAMASCENUS, cap. 10^o: «*Credimus in unum Spiritum Sanctum*» etc.: «*per omnia similem Patri et Filio, ex Patre proce-*

*dentem et per Filium traditum et susceptum ab omni creatura». Unde AUGUSTINUS, XV^o De Trinitate cap.^o 27^o, in hoc contradicit graecis dicens: «*Spiritus autem non a Patre procedit in Filium et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit, quamvis hoc Filio Pater dedit ut quemadmodum de se, ita et de illo procedat*».*

Ad quartum quod «*Spiritus Sanctus procedit a Filio, hoc non est nisi quia actio voluntatis praesupponit actionem intellectus*», dicendum quod verum est secundum iam determinatum modum. Et quod arguitur contra hoc quia eadem actio intellectus praecedat actionem notionalem eius et sic illa supposita aequae primo voluntas et intellectus possunt in actiones productivas personarum, ut secundum illud forte intelligere possumus quod dicit DAMASCENUS, libro I^o cap. 10^o: «*Similis est et Filii ex Patre generatio et Spiritus Sancti processio*». Et est dicendum quod actio intellectus quae requiritur quasi praecedens ad emanationem Verbi, non est nisi intelligere essenziale in quo non completur operatio intelligendi, ut supra visum est. Quod revera etiam requiritur ad actum volendi essentialem in quo non completur actio volendi, ut supra visum est. Voluntas enim de cognitione procedit dicente AUGUSTINO, XV^o De Trinitate cap. 27^o: «*Nemo vult quod omnino quid vel quale sit nescit*».

Et dicunt graeci fundantes se in hoc quod ille actus intelligendi essentialis sufficit tamquam praevis ad utramque emanationem, ut ipso supposito ambae emanationes aequae primo procedant, nec oportet quod una emanatio sit praevis ad aliam, nec communicari Filio vim productivam Spiritus Sancti, sicut nec econverso Spiritui Sancto communicatur vis productiva Filii. Sed hoc est contra dicta et ostensa in principio dissolutionis quaestionis praecedentis et istius. Nec etiam sufficit actio intellectus quae est intelligere essenziale ad producendum actionem voluntatis notionalem, quoniam sicut ad actionem voluntatis simpliciter essentialem praexigitur actus intellectus essentialis, sic ad completam actionem voluntatis quae consistit in actione emanationis Spiritus Sancti, requiritur completa actio intellectus quae consistit in actione emanationis Verbi. Et sic, ut dictum est, vim productivam actionis notionalis voluntatis necesse est ordine naturae quasi prius communicari Filio, et sic ab ipso simul cum Patre produci Spiritum Sanctum, ut dicit RICARDUS, I^o De Trinitate cap. 7^o: «*In summae sapientiae bonitate amoris flamma sicut non aliter sic non amplius flagrat quam summa sapientia dictata*».

Et cum hoc potest addi dicendo quod hoc est necessarium, quoniam voluntas, ut sit fecunda ad spirandum Spiritum Sanctum, oportet quod non solum sit voluntas qua quis amat simpliciter, sed quod sit concors voluntas qua quis amat voluntate concordi cum voluntate

alterius, ut sic voluntas spirativa sit nexus quidam duorum in unum principium activum, si debeat spirare amorem fluentem ab utroque ut nexus utriusque in unum principiatum ab utroque. Aliter enim amor essentialis in voluntate non est perfectus, ut voluntas per ipsum possit esse perfecte fecunda ad producendum amorem procedentem, qui est Spiritus Sanctus. Propter quod dicit RICARDUS, III^o De Trinitate cap.^o 16^o: *«Inter delicias caritatis et sapientiae hoc maxime solet interesse quod sapientiae deliciae valent et solent hauriri de corde proprio. Intimae autem caritatis deliciae hauriuntur de corde alieno. Nam qui intime diligit et intime diligi concupiscit, non tam delectatur quam anxietur, si de dilecti sui corde non haurit dilectionis dulcedinem quam sentit»*.

Ad quintum quod arguitur quod personarum emanantium ab alia neutra procedit a reliqua, quia ambae procedunt sufficienter a Patre, dicendum quod licet ambae sufficienter per immeditationem a Patre procedant, condicio ordinis naturae ipsarum requirit quod una earum sit ab altera, ut dictum est, et cum hoc natura voluntatis, quae fecunda non potest esse nisi ut concors est et duorum, ut iam tactum est. Et sic quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, hoc non est propter aliquam Patris imperfectionem, sed propter naturae condicionem qua necesse est Filium communicare in ratione illius perfectionis qua spirat Spiritum Sanctum.

Ad sextum quod *«si Spiritus Sanctus procederet a Filio, procederet ab ipso iam nato»*, verum est ordine quodam naturalis originis, non autem alicuius durationis, secundum quod hoc sufficienter expositum est supra.

Ad septimum *«si Spiritus Sanctus procederet a Filio cum procedat a Patre, aut ergo secundum quod sunt unus, aut secundum quod sunt duo»*, dicendum quod hic distinguunt ALIQUI dicentes quod li ‘ut’ vim reduplicationis habet, et ita determinat actum procedendi positum in praedicto in respectu et comparatione quadam ad subiectum quod est Pater et Filius. Potest ergo li ‘ut’ determinare actum procedendi ut refertur ad subiectum ratione qua est agens aut ratione virtutis agendi quae est in ipso. Primo modo dicunt quod spirant ut plures; secundo modo spirant ut unum, ut iam videbitur. Nullo autem modo spirant ut unus, sicut probant media contra hoc membrum adducta. Sed quod ista distinctio pro primo membro sit impossibilis apparet ex hoc quoniam agens ratione qua agens dicit elicentem actum ut eliciens est, non autem rationem eliciendi ut qua elicit. Nunc autem reduplicatio circa praedicatum non reduplicat nisi causam sive rationem praedicati quam habet in subiecto qua habet ipsi inesse, non autem ipsum subiectum totum, ut patet ex I^o Priorum. Quamquam ergo plures sunt de quo procedit Spiritus

Sanctus, dicente ANSELMO De processione Spiritus Sancti: *«quoniam Deus est de quo est Spiritus Sanctus, est Pater et Filius, idcirco vere dicitur esse de Patre et de Filio qui sunt duo, non tamen ut sunt duo»*, elicientes scilicet aliquo modo ut sunt duo connotati circa rationem eliciendi, ut iam dicitur.

Ad octavum quod *«procedit ab eis ut sunt unum aut ut sunt plura»*, dicendum quod nullo modo ut sunt plura, secundum quod ostendit medium contra hoc membrum, sed ut sunt unum. Non unum quod est essentia, secundum quod est pure absolutum, secundum quod probat medium adductum contra hoc membrum, nec unum quod est notio communis relativa secundum quod est pura relatio, quia illa non potest esse actionis principium elicativum, ut supra dictum est, sed medio modo inter utrumque, scilicet ut sunt una essentia non mere sub ratione essentiae, sed ut ipsa est voluntas, nec ut est absolute voluntas, sed ut est voluntas sub ratione proprietatis relativae notionalis communis. Sed adhuc non ut est essentia sub tali ratione penitus est una, quia tunc non haberent rationem nexus aut connexorum Pater et Filius in spirando Spiritum Sanctum, secundum quod ex sequentibus patebit; immo ut ipsa voluntas est una connotans distinctionem plurium, Patris scilicet et Filii circa illam unitatem, ut sic dicantur Pater et Filius spirare Spiritum Sanctum ut sunt unum in essentia sub ratione communis proprietatis relativae considerata, et ut ipsi sunt tamquam plures circa illud unum connotati, licet non ut ipsi sunt principaliter plures distincti sicut actum elicientes, secundum quod iam dictum est in solutione argumenti praecedentis. Et secundum hoc, licet non spirant ut plures, sunt distincti principaliter et elicientes actum propter rationem praedictam, spirant tamen ut sunt connotati plures distincti circa id in quo sunt unum, quod est ratio eliciendi actum et sic ut plures uniti in una spirativa ratione. Uniri intelligo per connotationem circa unam rationem agendi, propter quam quidem connotationem in una ratione necessario concurrunt in illam unam actionem.

Ad cuius intellectum sciendum est quod secundum quod inferius determinabitur, actus essentiales sunt praevisi ordine quodam rationis et fundamenta actuum notionalium, et quasi complementa virtutis sive rationis elicativae eorum sub ratione respectus, ut ratio dicendi Verbum sive vis dictiva in Patre sit divina essentia in Patre in quantum est intellectus informatus sapientia essentiali in actuali actu intelligendi sub ratione respectus notionalis quem habet Pater ad Filium. Ratio vero spirandi Spiritum Sanctum sive vis spirativa in Patre et Filio sit eadem divina essentia in quantum est voluntas informata amore essentiali in actuali actu volendi sive amandi, et hoc sub ratione respectus notionalis

communis quem habent communiter Pater et Filius ad Spiritum Sanctum. Sed in hoc interest ex parte intellectus ut sit fecundus ad dicendum Verbum et ex parte voluntatis ut sit fecunda ad spirandum Spiritum Sanctum, quoniam intellectus perfectam fecunditatem habere potest ad Verbi productionem ut existit in una sola persona. Voluntas autem perfectam fecunditatem habere non potest ad Spiritus Sancti productionem nisi existat in gemina persona, et hoc quia fecunditas intellectus consistit in plenitudine perfectae sapientiae quae potest esse in unico, dicente RICARDO, III^o De Trinitate cap. 16^o: «*Nilhil definitur contrarium naturae si plenitudo sapientiae dicatur posse subsistere in singularitate personae. Nam quantum videtur etiam si sola una persona in deitate esset, nihilominus plenitudinem sapientiae habere potuisset*». Fecunditas autem voluntatis consistit in plenitudine perfecti amoris qui non potest esse nisi in duobus ad minus, dicente RICARDO ibidem et iam habitum est supra: «*Plenitudo caritatis sive amoris non hauritur nisi de corde alieno*». Ut enim dicit libro eodem cap. 2^o: «*Quamdiu quis nullum alium quam se ipsum diligit, ille quem erga se habet privatus amor convincitur quod summum caritatis gradum nondum apprehendit*». «*Non ergo*», ut dicit cap. 3^o, «*potest esse amor iucundus nisi sit mutuus*». Quare cum in amore essentiali voluntas summae fecunditatis esse non possit nisi summe perfectus et iucundus sit amor, oportet ut voluntas fecunda sit quod amor mutuus sit; ut, secundum quod dicit cap. 3^o: «*sit qui amorem impendit et qui amorem rependit*», quoniam, ut dicit cap. 7^o: «*summe diligenti non sufficit si summe dilectus summam dilectionem non rependit*».

Et secundum hoc, ut iam dictum est supra, ad hoc quod communis voluntas Patris et Filii sit fecunda ad spirandum Spiritum Sanctum, non sufficit quod sit una communis ambobus et amor essentialis in ipsa communis, qua ambo simul volunt et amant, sed oportet quod sit voluntas concors et mutua duorum, qua unus summum amorem alteri impendit, et ille vice versa eundem rependit, quo existente fecunda est, ut ex ipsa necesse est emanare amorem qui est Spiritus Sanctus, dicente RICARDO, cap. 11^o: «*In mutuo amore multumque fervente nihil praeclarius quam ut ab eo quem summe diligis et a quo summe diligeris, alium aequè diligi velis. In illis itaque*» sicut dicit «*mutuo dilectis utriusque perfectio ut consummata sit exhibitae dilectionis consortem requirit*», et hoc per vim spirativam quae est ipsa concors voluntas in mutuo amore producendo Spiritum Sanctum, non solum ut sunt unum in voluntate illa sive amore, sed ut sunt plures inter se distincti.

Quae distinctio connotatur per hoc quod voluntas dicitur esse concors et amor mutuus. Quod enim sit concors voluntas et amor mutuus, non potest esse nisi sint plurium secundum quod plures sunt.

Inseparabilis enim praepositio ‘con’ associationem importat, quae non est nisi plurium distinctorum. Propterea bene dicitur in plurali quod Pater, Filius vel Spiritus Sanctus sunt tres coaeterni, cum tamen ista negatur “Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt tres aeterni”. Per hoc etiam quod ista voluntas concors est et amor mutuus duorum, licet sit unus et idem, tamen non est eadem ratio eius ut est a Patre in Filium impensus et e converso a Filio in Patrem repensus, quoniam, ut dicit RICARDUS, libro III^o cap.^o 19^o: *«Quando duo se mutuo diligunt et summi desiderii affectus invicem impendunt, et istius in illum, illius vero in istum affectus discurret, et quasi in diversa tendit»*, et per hoc quod *«quasi in diversa tendit»*, quodam modo ratione diversus est. Sed ista diversitas rationis est et consistit in pure essentiali, qua non obstante in illa voluntate concordii et amore mutuo existit fecunditas penitus una et eadem in qua Pater et Filius unum sunt omnino et uniformiter penitus spirant Spiritum Sanctum, qui *«a duobus concorditer diligitur, et duorum affectus tertii amoris incendio in unum conflatur»*, ut dicit ibidem RICARDUS. Et secundum hoc in spiratione Spiritus Sancti dupliciter considerata est Patris et Filii distinctio: uno modo, ut exprimuntur sicut elicientes actum; alio modo ut intelliguntur esse concordantes in voluntate et in amore mutuo circa rationem eliciendi actum. Et ex distinctione eius primo modo consideratae et expressae nullo modo dicendi sunt spirare ut plures. Licet enim sint plures qui spirant, non tamen propter pluralitatem quae principaliter est in illis spirant, sed solum ex distinctione eorum dicto modo connotata. Et sic Pater et Filius non spirant Spiritum Sanctum ut sunt plures in actionem eliciendo, licet concurrant in unam rationem qua eliciunt actum, sed ut sunt plures in una voluntate, quae est ratio eliciendi actum concordando et amorem suum in illa mutuando, quod iam patebit amplius.

Ad nonum *«aut procedit ab eis ut ab uno principio aut ut a pluribus»*, dicendum quod in talibus maxime aspiciendum est ad significatum termini. Est ergo intelligendum propter significatum huius nominis ‘principium’, quod in divinis est aliquod nomen quod pure significat essentiam puram et per modum essentiae, et non supponit nisi pro essentia ut hoc nomen ‘deitas’. Est et aliud nomen quod significat essentiam, non per modum essentiae sed per modum suppositi, et supponit pro supposito, ut hoc nomen ‘Deus’. Est autem tertium nomen quod significat relationem puram per modum relationis, et supponit solum pro relatione, ut hoc nomen ‘paternitas’. Quartum est nomen quod significat medio modo, scilicet essentiam principaliter, sed sub ratione et modo respectus sive relationis, ut hoc nomen ‘potentia’ et hoc nomen ‘principium’, sed differenter. Quoniam potentia significat

substantiam sub ratione respectus ad actum principaliter; hoc nomen vero 'principium' sub ratione respectus ad productum principaliter. Et iterum potentia significat substantiam sub ratione respectus et per modum respectus quantum est de ratione formali a qua nomen imponitur ad significandum.

Propter quod determinavimus supra habendo respectum ad hoc, quod potentia non est quid sed ad aliquid, non quod significet puram relationem, ut hoc nomen 'paternitas', sed quia licet significet substantiam et supponit pro substantia, significat tamen ipsam sub ratione et modo respectus. Principium vero significat substantiam similiter et sub ratione respectus, sed per modum suppositi, unde et supponit pro supposito. Unde tam hoc nomen 'potentia' quam hoc nomen 'principium' significant substantiam principaliter, sed sub ratione respectus, et hoc sub indifferentia quadam et indeterminatione, quemadmodum hoc nomen 'persona' significat suppositum simpliciter sub indifferentia et indeterminatione quadam, et determinatur ista determinatio per adiunctum, et cum hoc hoc nomen 'principium' supponit pro supposito sub indifferentia et indeterminatione quadam sicut hoc nomen 'Deus'. Quia igitur hoc nomen 'principium' principaliter significat essentiam, licet sub modo relationis, et per hoc dicat de suo significato potius rationem elicivam quam suppositum in quo est, quod per ipsam actum elicit, quamvis etiam pro ipso supponit, ipsa autem essentia una est in divinis, et prima ratio elicitiva omnium divinarum actuum, ut habitum est supra, et ratio principii maxime primo attribuitur, quia quanto aliquid habet magis rationem primi, tanto habet magis rationem principii; *«primum enim et principium idem»*, secundum PHILOSOPHUM I^o Posteriorum.

Idcirco dico quod in divinis non est nisi una ratio principii propriissime accepti, et non dicitur nisi singulariter, et hoc sive verificat locutionem significando essentiam sub ratione unius respectus sive plurium, et sive supponat pro uno supposito verificando locutionem sive pro pluribus simul, duobus aut tribus, licet accepto principio non sic proprie, scilicet pro simpliciter primo et remoto sed pro proximo et immediato actui proprio principia dicuntur esse plura, sicut et plures dicuntur esse potentiae. Econtrario enim contingit in ratione principii et ratione potentiae, quia tanto unumquodque magis habet rationem principii, quanto magis habet rationem primi et remoti a principiatio, ut iam dictum est. Tanto vero unumquodque magis habet rationem potentiae, quanto magis habet rationem proximi et immediati ipsi principiatio. Propter quod, secundum PHILOSOPHUM IX^o Metaphysicae, acetum non est proprie in potentia vinum sed aqua existens in stipite.

Unde Pater dicitur esse unum principium Filii, Spiritus Sancti et creaturarum, quia una est divina essentia quae in ipso est unica ratio principiandi illa omnia, licet sub ratione alterius respectus est ratio principiandi Filium, et sub alia Spiritum Sanctum, et sub tertia creaturarum. Similiter Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti et creaturarum, licet et sub alia ratione Spiritus Sancti sub alia creaturarum, et licet sint diversa supposita, et hoc quia in ipsis unica essentia est ratio prima illorum elicitiva, nec referret in aliquo quin dicerentur esse unum principium Spiritus Sancti, etiamsi sub pluribus rationibus respectivis in Patre et Filio essentia esset principiandi et originandi ratio Spiritum Sanctum, quemadmodum non refert in Patre quin dicatur unum principium Filii et Spiritus Sancti, quamvis essentia in ipso secundum diversas relationes sit ratio originandi ipsos. Et sic praecisa ratio, qua Pater et Filius dicuntur principium unum Spiritus Sancti, est ipsa essentia sub ratione respectus et relationis simpliciter quem habent ad Spiritum Sanctum in producendo ipsum. Non dico sub ratione relationis unius quae est communis notio utriusque. Hoc enim incidit quod sit una; quia, ut dictum est, si non esset una sed plures nihilominus propter essentiam unam quae habet rationem principii primi, dicerentur unum principium eius.

Ex quo patent quatuor. Primum quod unitas principii per se sumitur et praecise ex unitate eius quod est prima ratio principiandi, licet non nisi ut consideratur sub ratione respectus et relationis ad id cuius est ratio originandi. Propter quod licet eadem essentia sit in principio, non tamen eadem ratio principii, quia non est in illo sub ratione eiusdem respectus. Secundum est quod alio et alio modo Pater et Filius dicuntur spirare Spiritum Sanctum ut sunt unum et ut sunt unum principium, quia spirant Spiritum Sanctum ut sunt unum in essentia et sub una ratione relationis communis qua referuntur communiter ad Spiritum Sanctum, spirant autem Spiritum Sanctum ut sunt unum principium in essentia, et distincti propriis rationibus quibus inter se referuntur. Propter quod patet tertium, scilicet quod non bene dicunt quod eadem est notio in Patre et Filio secundum quam dicuntur unum principium Spiritus Sancti; hoc enim incidit, ut dictum est, licet incommutabiliter. Propter quod dicit AUGUSTINUS, V^o De Trinitate cap.^o 14^o: «*Pater ad Filium principium est quia genuit eum*». Ex quo concludit MAGISTER Sententiarum libro 1^o distinctione 29^a cap.^o 'Deinde': «*Qua ergo notione est Pater, ea Filii principium dicitur, id est generatione*». Et cap.^o 'Unum autem' dicit sic: «*Sane intelligi potest et Patrem et Filium eadem notione vel relatione dici principium Spiritus Sancti*». Ubi multum de hac materia per totam distinctionem. Quartum est quod cum dicitur quod

«*Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum ut sunt unum, id est unus Deus*», licet in libro *De Spiritu Sancto* hoc dicat ANSELMUS, non exprimitur praecisa ratio unitatis Patris et Filii in spirando Spiritum Sanctum, quoniam illud in quo sunt unum, si praecise exprimatur, oportet quod exprimatur sub ratione respectus qui soli Patri et Filio convenit. 'Deus' autem, etsi supponat pro relativis suppositis, non tamen significat aliquid sub ratione relationis, et cum hoc non significat essentiam ut praecise convenit Patri et Filio, sed etiam ut convenit Spiritui Sancto. Propter quod etiam, cum dicitur quod spirant ut sunt unum, id est unum principium, non exprimitur praecise ratio unitatis eorum in spirando Spiritum Sanctum, quia etsi principium significat essentiam sub ratione relationis, non tamen praecise illius qua Pater et Filius referuntur ad Spiritum Sanctum, sed generaliter qua Pater refertur ad Filium et ambo ad Spiritum Sanctum et tota Trinitas ad creaturas et etiam una creatura ad aliam. Unde quia ANSELMUS ponit praecisam rationem spirandi Spiritum Sanctum in Patre et Filio quod sunt unus Deus, per hoc probat quod oportet quod Spiritus Sanctus sit de Filio aut econverso aequali necessitate qua Pater est de Filio et econverso, et similiter Spiritus Sanctus de Patre aut econverso. Et manifestum est quod non teneret de forma argumenti. Si enim aliquis dicat quod Spiritus Sanctus non procedit ratione deitatis simpliciter, sed solum ut est sub ratione notionis relativae, et illa ponatur esse in solo Patre, sicut est notio generationis activae, et cum hoc dicat quod illae duae notiones in Patre nullum habent ordinem inter se, talis potest concedere quod necesse est a Patre procedere Filium et Spiritum Sanctum, ita tamen quod neuter ab altero, non obstantibus rationibus ANSELMI, ut patet inspicienti.

Unde si consimiles quaestiones fierent de Patre respectu Filii et Spiritus Sancti, utrum produceret eos ut est unus vel plures, respondendum esset ut prius, quod tamen ipse qui produceret eos esset unus. Si vero quaereretur utrum produceret eos ut est unum vel ut est plura, dicendum est quod ut est una essentia sicut prius, sed ut sub rationibus diversarum relationum sive proprietatum. Si vero quaeratur an procedunt ab eo ut ab uno principio an ut a pluribus, dicendum quod ut ab uno ratione unitatis essentiae, licet sub diversis rationibus relationum, ita quod si Pater diceretur esse plura principia, pluralitas divinarum essentiarum implicaretur esse in ipso. Unde de unitate principii Patris et Filii respectu Spiritus Sancti dicit ANSELMUS, *De processione Spiritus Sancti: «Sicut non credimus Spiritum Sanctum esse de hoc unde duo sunt Pater et Filius, sed de hoc in quo sunt unum, ita non dicimus duo esse eius principia sed unum principium, si tamen debeat dici Deus habere principium;*

principium namque videtur non nisi rei incipientis esse». Propter quod innuit quod non sumuntur omnia in divinis univoce secundum modum quo usitantur in creaturis, sed eminentiori. Unde subdit: «Si tamen ineffabili quodam modo intelligatur, quoniam aliter proferri nequit, non incongrue potest dici principium». Sed est intelligendum dictum illud ANSELMII «de hoc in quo sunt unum», non absolute sed solum ratione respectus. Propter quod etiam nomen principii respectum importat, secundum quod dicit AUGUSTINUS V^o De Trinitate cap.^o 13^o: «Dicitur relative Pater, idemque relative dicitur principium» et cap.^o 14^o: «Fatendum est Patrem et Filium esse principium Spiritus Sancti, non duo principia sed sicut Pater et Filius unus Deus. Et ad creaturam dicitur unus Creator et unus Deus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium; ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium sicut unus Creator et unus Deus».

Quod arguitur iuxta hoc «si Pater et Filius essent unum principium Spiritus Sancti, aut ergo unum principium quod est Pater aut quod non est Pater», dicendum quod utrumque praecise et separatim loquendo negandum est ut procedit obiectio. Sed utrumque concedendum est coniunctim, quia Pater et Filius unum sunt principium Spiritus Sancti quod est Pater pro uno et quod non est Pater pro alio, quia relatio quae includitur in nomine principii, non est determinata ad unam singularem vel communem aut ad plures; nec principium determinate supponit pro aliquo suppositorum, ut dictum est, licet determinetur per adiunctum.

Ad decimum quod «si Spiritus Sanctus procedit ab utroque aut ergo ut ab uno spiratore aut ut a duobus», dicendum quod in hoc articulo non solum diversi contrariantur inter se; immo ex magnis doctoribus idem contrariatur sibi ipsi QUI dixit super I^{um} S e n t e n t i a r u m, quod «actus recipit numerum a suppositis. Actus autem significatur et in verbo et in participio et in nomine verbali. Et ideo non possumus dicere quod Pater et Filius spiret Spiritum Sanctum, vel quod sint spirans vel quod sint spirator, sed quod spirant et [quod] sint spirantes et sint spiratores, quamvis sit unus actus quo spirant». In prima autem parte S u m m a e suae repetit eandem sententiam dicens: «Pater et Filius, licet sint unum principium Spiritus Sancti, sunt tamen duo spiratores propter distinctionem suppositorum sicut duo spirantes quia actus referuntur ad supposita». Revocando autem dictum suum in hoc statim dicit contrarium subdens: «Sed melius dicendum videtur quod quia spirans adiectivum est, spirator vero substantivum, possumus dicere quod Pater et Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter unam spirationem».

Postmodum autem supervenit QUIDAM ALIUS, qui detestans dictam contrarietatem super I^{um} S e n t e n t i a r u m, scripsit sic: «In hac quaestione iidem sibi ipsis contrariantur, nam cum prius dixissent Patrem et Filium esse plures spiratores, postea dixerunt esse melius dicendum quod Pater et

Filius sunt unus spirator». Ubi continuo subdit dicens et bene: «*quod tota causa quare nos dubitamus concedere Patrem et Filium esse plures spiratores est quia sicut una est potentia spirandi in Patre et Filio, ita est una potentia creandi in tribus personis, sed propter unitatem potentiae creandi dicuntur omnes tres personae unus Creator; ergo propter unitatem potentiae spirandi Pater et Filius debent dici unus spirator*». Huius autem varietatis quod tres personae dicuntur unus Creator, duae autem non dicuntur unus spirator, rationem subdit dicens: «*Quod sicut tres personae non creant in eo quod plures sed in eo quod uniuntur in aliquo absoluto, puta in deitate, ita quod Pater et Filius non spirant in eo quod plures, sed in eo quod uniuntur in aliquo absoluto, sed hoc aliter et aliter. Nam prout tres creant, sunt unum in deitate ita quod ipsa deitas creat, sed duo non sunt unum in deitate ut ipsa deitas spiret*». Ut igitur dicit, «*ratione deitatis cui competit creare*», non autem spirare, «*potuerunt plures personae dici unus Creator*», non autem unus spirator.

Sed manifestum est ex supra determinatis circa divinas actiones in generali quod principium divinae actionis ut agens a qua emanat, non potest esse divina essentia, licet sit ratio eliciendi omnes, sed solum suppositum subsistens; forma enim rei non agit, sed habens formam agit per formam. Unde nec actum intelligendi, de quo magis videtur, attribuit PHILOSOPHUS animae coniunctae sed composito; non enim differt, secundum quod dicit, «*dicere animam intelligere et texere aut aedificare*». Etsi ergo plures ut plures non creant vel spirant, sed solum secundum quod uniuntur in uno, scilicet in deitate, non tamen, secundum quod iam declaratum est, ut in penitus absoluta, sed sub ratione alicuius respectus. Non plus tamen actus creandi poterit attribui essentiae divinae, dicendo quod essentia creat, quam actus spirandi dicendo quod essentia spirat, licet de 'creare' validior fit apparentia, eo quod essentia est ratio creandi in tribus personis, non autem ratio spirandi nisi in duabus. Unde si alicubi propterea invenitur quod creatrix dicatur essentia aut quod creat, exponendus est sermo ut 'essentia' stet improprie pro eo cuius est. Aliam ergo rationem diversae praedicationis Creatoris in singulari de tribus, et spiratoris in plurali de duobus oportet assignare, quae non solum ostendat rationem quare sic possit esse, sed quare sic et non aliter debeat esse.

Ad cuius intellectum sciendum est quod, licet nomina verbalia eundem actum significant quem verba et participia, ut aedificator et aedificans, creator et creans, spirator et spirans, alio tamen et alio modo significant ipsum; quoniam verbum et participium significant ipsum ut actu egreditur ab agente, nomen autem verbale ut solum ab ipso egreditur etiam habitu. Aedificator enim est aptus aedificare etsi non actu aedificet; aedificans autem non est nisi actu aedificet. Et similiter in

divinis, quamvis ibi actus ut est intra non distet ab habitu, nomen tamen verbale de ratione sua non indicat nisi ut agentem habitu secundum quod spirans non est nisi a quo actu emanat actus spirandi, spirator autem etsi semper sit in actu spirandi, nomen tamen hoc non indicat nisi spirantem habitu; et secundum hoc verbum et participium aliter comparantur ad agere debentem, sive aliter respiciunt ipsum et nomen verbale. Cum enim, ut supra determinatum est, actus ut est in agere per se sit suppositi, verbum et participium nominant actum ut per se respicientem suppositum prout suppositum est. Propter quod generaliter ad plurificationem suppositi sequitur in praedicatione plurificatio in consignificatione pluralis numeri verbi et participii, ut infra declarabitur loquendo de modo loquendi de Deo. Nomen autem verbale quia significat actum in habitu qui per se respicit vim elicivam actus, non autem suppositum; non enim dicitur aedificator nisi qui habet vim et potentiam aedificandi secundum quam aptus est huiusmodi actum elicere, idcirco non generaliter ad plurificationem suppositi sequitur in praedicatione plurificatio in consignificatione numeri pluralis huiusmodi nominum, sed quandoque sic, et quandoque non.

Ad cognoscendum autem quando sic et quando non, est advertendum ex parte ipsius virtutis sive rationis agendi elicitivae actus. Aut enim ipsa est diversa in diversis, et tunc generaliter nomen verbale pluraliter praedicatur de ipsis, ut Sortes et Plato sunt duo aedificatores. Aut est eadem in diversis, sicut contingit in divinis respectu omnium actionum quae pluribus personis conveniunt. Sed hoc contingit dupliciter: aut enim sunt omnino unum in illa vi sive ratione, ut penitus secundum eundem modum sit elicitiva actus sive ratio eliciendi ut est in una et in altera absque omni connotatione distinctionis suppositorum et diversitatis eorum in modo agendi per illam. Aut licet sint omnino unum in illa, non tamen est penitus secundum eundem modum elicitiva actus sive ratio eliciendi ipsum ut est in uno et in altero, sed connotat distinctionem suppositorum et diversitatem aliquam in modo agendi per illam. Nomen verbale respiciens in diversis suppositis vim elicivam primo modo praedicatur de illis non nisi in singulari, quia licet sint plures elicientes, propter tamen talem virtutem elicitivam eliciunt actum ut penitus sunt unum in illa et non ut plures sunt secundum se, ut reduplicatio importata per li 'ut' determinet actum in respectu ad personas elicientes ipsum, non notando condicionem elicientium, in quantum scilicet elicientes sunt, sed virtutis elicitivae tantum in quantum est ratio eliciendi omnino eadem respectu plurium in eliciendo actum, et praecisa ratio qua una actum elicit et alia, ut licet personae illae sint diversae, non tamen omnino eliciunt actum eo quod sunt diversae, sed tantummodo

eo quod convenit eis ratio personae, et habent unitatem in vi activa dicto modo, ita quod si non esset nisi una illarum, non minus eliceret actum quam omnes simul. Tale nomen verbale est hoc nomen 'Creator', quia vim creativam, quae est divina essentia sub ratione respectus ad creaturas, respicit in diversis suppositis ut in qua sunt omnia unum, et penitus secundum eundem modum ipsa est ratio elicitiva actus ut est in uno et ut est in altero absque omni connotatione distinctionis suppositorum circa eam et diversitatis sive difformitatis eorum in modo agendi per illam, propter quod praedicatur de illis non nisi in singulari dicendo quod «sunt *unus Creator* ad modum quo dicitur quod sunt *unus Deus*», ut patet ex dictis AUGUSTINI iam supra positis. Quamvis enim sint plures creantes, propter tamen talem vim elicitivam eliciunt actum creandi ut penitus sunt unum in illa, et non ut sunt plures secundum se, etc. secundum iam dictum modum.

Nomen autem verbale respiciens in diversis suppositis vim elicitivam secundo modo praedicatur de eis non nisi in plurali, quia propter talem virtutem elicitivam etiam eliciunt actum non solum ut sunt unum in illa, sed cum hoc ut secundum se sunt plures et distincti, ut reduplicatio per li 'ut' determinet actum in respectu ad personas elicientes ipsum, simul connotando condicionem virtutis elicitivae in quantum est ratio eliciendi et ipsorum elicientium ut sunt distincti. Et licet illa vis sit eadem talium plurium, non tamen ut penitus eadem est praecisa ratio qua unus illorum elicit actum et alius. Unde personae illae actum eliciunt secundum quod sunt distinctae et diversae, non solum eo quod convenit eis ratio personae simpliciter, et habent unitatem in vi elicitiva praedicto modo, ita quod si non esset nisi altera illarum, nullo modo actum illum eliceret sine reliqua. Tale nomen verbale est hoc nomen 'spirator', quia vim spirativam, quae est essentia divina sub ratione respectus communis ad Spiritum Sanctum secundum praedictum modum, respicit in diversis suppositis ut in qua sunt unum omnino, sed ipsa non penitus secundum eundem modum est ratio elicitiva ut est in uno et ut est in altero absque omni connotatione distinctionis illorum circa eam ex connotato circa vim elicitivam, secundum quod iam in parte dictum est supra.

Aliaque est etiam difformitas eorum in modo agendi et eliciendi actum per illam, ut iam patebit, propter quod praedicatur de illis in plurali dicendo quod «sunt *plures spiratores*». Propter tale enim connotatum et modum eliciendi actum non eliciunt actum solummodo ut penitus sunt idem in vi spirativa, sed etiam ut sunt plures secundum se etc., secundum iam dictum modum. Et sic Pater et Filius et Spiritus Sanctus in creando, licet plures sint, tamen quia omnino unum sunt

absque omni differentia rationis et distinctionis connotatae, totaliter creant ut unum sunt non ut plures, et sunt unus Creator non plures creatores, ut li 'ut' determinet actum creandi ut refertur ad rationem agendi et nullo modo ad agentes. Pater vero et Filius in spirando, quia cum hoc quod sunt plures in se, tamen quia in vi spirativa habent aliquam differentiam rationis et aliquam distinctionem connotatam, licet in ea sunt omnino unum re, non totaliter spirant ut unum nec totaliter ut plures, sed ut plures in quantum connotatur eorum distinctio in vi spirativa, et quandam differentiam rationis habent in illa, ut unum vero in quantum realiter in illa sunt unum, et ulterius uniuntur in una communi fecunditate, et propter illam distinctionem et differentiam rationis dicuntur spirare ut duo et esse ut duo spiratores. Propter tamen unitatem fecunditatis in qua sunt unum omni distinctione — et expressa et connotata — et differentia rationis reductis in ipsum, etiam bene dicuntur spirare ut unum et esse unus spirator, ut li 'ut' determinet actum spirandi et ut refertur ad agentes et ut refertur ad rationem agendi. Quia tamen spirant ut unum, in eo in quo completur vis spirativa, melius dicuntur spirare ut unum quam ut plures, et quod sint unus spirator quam quod plures, ut bene dixit MAGISTER praedictus sese corrigendo, non tamen quin etiam bene dicatur quod sint plures.

Quod videtur negare ex hoc quod auctoritatem HILARII quae dicit quod «a Patre et Filio auctoribus procedit Spiritus Sanctus», exponit dicendo quod «ibi *ponitur substantivum pro adiectivo*». Quod non oportet dicere, quia bene dicuntur duo spiratores eo quod in illa vi spirativa propter connotatum sunt plures, et propter principale significatum sunt unum, ut secundum hoc sint plures uniti. Et ulterius, quia propter rationis differentiam in amore mutuo sunt sibi invicem vinculo amoris connexi, idcirco Spiritus Sanctus procedit ab ipsis ut a connexis et in quantum duorum affectus amoris incendio in unum conflatur, una scilicet fecunditate connexorum producendo ipsum Spiritum Sanctum, ipse Spiritus Sanctus dicitur nexus amborum et procedere ut nexus amborum, in quo scilicet ambo perfecte connectuntur, ut ratio istius nexus fit quod procedit a duobus, non solum quia ut sunt unum in vi spirativa — sic enim creatura diceretur potius procedere a tota Trinitate ut nexus quia procedit a tribus secundum quod sunt unum, nullam distinctionem connotando circa illam unitatem, ut dictum est — sed cum hoc quia ut sunt plures. Nisi enim secundum dictum modum procederet ab eis ut sunt unum et ut sunt plures, nullo modo diceretur procedere ab eis per modum nexus.

Ulterius, quia procedit ab eis ut sic sunt connexi et in voluntate concordantes et in amore mutui, et per hoc voluntas et amor habent

fecunditatem eliciendi amorem procedentem, ita quod si in huiusmodi voluntate et amore non esset talis associatio et plurium concursus, huiusmodi fecunditatem non haberent, et talis nexus et associatio nullo modo possunt esse circa voluntatem huiusmodi ut est in sola persona Patris existens. Idcirco patet quod circumscripto Filio a sola persona Patris, impossibile esset procedere Spiritum Sanctum, ut non solum sit necesse ponere quod Spiritus Sanctus procedit etiam a Filio, quia propter processionum naturalem ordinem necesse est Filio communicari voluntatem a Patre, qua necesse habet spirare Spiritum Sanctum, secundum quod procedit ratio superius posita, sed etiam quod necesse sit ipsum procedere a Filio si debeat procedere a Patre, quia in solo Patre etsi est ipsa voluntas, quia tamen non esset mutua, non esset fecunda, ut non solum sit impossibile circumscribere Filium a productione Spiritus Sancti et ponere ipsum sic posse procedere a solo Patre sicut procedit Filius, immo sit etiam impossibile, quia non solum impossibile est Filium circumscribi ab actu spirationis, immo hoc posito per impossibile cum hoc est etiam impossibile quod Spiritus Sanctus ponatur spirari a solo Patre.

Quod totum evenit ex conditione sapientiae a qua procedit Filius cuius perfectio *«hauritur ex corde proprio»*, et amoris cuius perfectio non *hauritur nisi a corde alieno»*, ut praedictum est secundum RICARDUM. In actu autem creandi non sic contingit sicut in actu spirandi. Quia enim ratio creandi praecisa est ipsa essentia ut est voluntas arbitrio libera absque omni connotatione distinctionis et pluralitatis personarum, quae uniformiter habet esse in singulis personis et in tribus, propter quod, circumscriptis ab actu creandi per impossibile duabus personis, non est impossibile ponere tertiam personam posse creare per se solam, et hoc quia creare non convenit personae divinae ratione qua una vel plures, sed ratione qua est persona divina simpliciter, ita quod si intelligatur in Deo solum una persona absoluta, sicut intelligunt Iudaei et gentiles, ponendum esset illam posse creare. Propter quod dicunt QUIDAM quod tota Trinitas et quaelibet persona in ea creant, non quia talis sed quia Deus est. Et hoc non solum quia in Deo sunt unum in substantia, quia substantiae non convenit creare, ut dictum est, sed quia Deus supponit indeterminate pro persona cum hoc quod significat substantiam. Quod ergo arguitur contra membra divisionis in argumento quod «a Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus *ut ab uno* spiratore *quia spirator est denominatio ab actu ut egreditur a supposito»* etc., dicendum quod verum est, sed non ratione suppositi ut actus ab ipso egreditur, sed ratione virtutis et rationis elicitive qua egreditur. Quare cum illa sit una,

licet connotat pluralitatem suppositorum circa se, ut dictum est, propter illam bene dicitur unus spirator.

Similiter quod arguitur quod «*non ut a duobus spiratoribus, quia spirator importat rationem principii, et non spirant ut duo principia*», dicendum quod non est simile de nomine 'spirator' et nomine 'principii' licet ambo assumuntur ab eodem, scilicet a vi communi elicitive actus, quia ratio principii sumitur praecise a vi elicitive ut elicitive est. Nunc autem, ut dictum est, vis illa complete elicitive est, ut supposita in ipsa habent unitatem; plures enim ut plures omnino numquam possunt principiari unum simplicem effectum. Ratio autem spiratoris sumitur non praecise a vi elicitive ut complete elicitive est, et supposita in ipsa unitatem habent, sed ut circa huiusmodi unitatem eorum distinctio et pluralitas connotatur. Quia, ut dictum est, vis illa quae est voluntas actuali amore quasi informata, ratio eliciendi actum spirandi non potest esse praecisa quia voluntas est et amor duorum, sed quia voluntas concors est et amor mutuus, ut propterea quamquam spirator includat in se rationem principii, addit tamen in suo significato ordinem ad personas ut sunt distincti non ut elicientes actum, sed ut concordantes et mutui in ratione elicitive, propter quod potest spirator praedicari pluraliter, non autem principium, ut dictum est.

Patet etiam ad illud quod iuxta hoc assumebatur de Creatore, quod secundum praedicta non est simile.

Ad illud quod arguitur quod «*Spiritus Sanctus procedit a Filio non econverso*», concedendum est, quia ratio illa explicat bene causam illius, quia nisi esset ordo ille principiorum duorum emanantium, non esset ratio quare potius Spiritus Sanctus procederet a Filio quam econverso. Aliam autem rationem huius exponit ANSELMUS, De processione Spiritus Sancti, quae est ad impossibile et a posteriori; quia, ut dicit, «*si Filius procederet a Spiritu Sancto, esset filius eius*». Quod proculdubio verum esset si ordine isto voluntas praerent intellectum quo voluntatem praerit intellectus. Tunc enim persona quae non est ab alia et quae est ab illa per voluntatem, communi notione essent Pater Filii sicut modo communi notione sunt spirator Spiritus Sancti.

Secundum eundem modum est concedenda ratio RICARDI quod unus eorum necessario procedit ab altero, et hoc ratione praedicta ostensiva exigente; non autem propter rationes ANSELMI aut RICARDI nisi tamquam propter illas quae declarant inconveniens nisi sic fieret, ut dictum est.

Ad ultimum quod «*secundum AUGUSTINUM, IX^o De Trinitate, «partum mentis praecedat appetitus»*», dicendum quod ad litteram ibi loquitur AUGUSTINUS de partu mentis per discursum et inquisitionem

praecedentem. «Quia», ut dicit ibidem, *«inquisitio appetitus est inveniendi qui procedit a quaerente et pendet, neque requiescit in fine quo intenditur nisi id quod quaeritur inventum quaerenti copuletur. Nam voluntas dici potest, quia omnis qui quaerit, invenire vult, et si id quod quaeritur ad notitiam pertinet, omnis qui quaerit nosse vult»*. Ubi sequitur: *«ergo partum mentis antecedit appetitus; quo id quod nosse volumus quaerendo et inveniando nascitur proles ipsa notitia»*. Sed iste appetitus est amor voluntatis imperfectus, sicut et est cum notitia imperfecta. Sed est alius amor perfectus qui coniungitur perfectae notitiae quae «proles» dicitur, de qua continuo subdit: *«idemque appetitus quo inhiatur rei cognoscendae fit amor cognitae dum tenet atque amplectitur placitam prolem, id est notitiam, gignentique coniungit, et est quaedam imago Trinitatis ipsa mens et notitia eius et amor tertius»*. Talis autem processus in divinis non est, dicente AUGUSTINO, XV^o De Trinitate cap.^o 26^o: *«Numquid possumus quaerere utrum iam processerat de Patre Spiritus Sanctus quando natus est Filius, aut nondum processerat et illo nato de utroque processit, ubi nulla sunt tempora, sicut potuimus quaerere ubi invenimus tempora, voluntatem prius de humana mente procedere ut quaeratur quod inventa proles vocetur, qua iam parta sive genita voluntas illa perficitur eo fine quiescens, ut qui fuerat appetitus quaerentis sit amor fruientis, qui iam de utroque, id est de gignente mente et de genita notione, tamquam de parente ac prole procedat? Non possunt prorsus ista ibi quaeri ubi nihil in tempore inchoatur ut consequenti perficiatur in tempore»*. Et sic breviter, secundum AUGUSTINUM XV^o De Trinitate illud dictum eius in IX^o De Trinitate divinis emanationibus non potest applicari ad probandum quod voluntas praecedat notitiam, et per consequens Spiritus Sanctus Filium ut procedat ab illo.

Verumtamen intelligendum quod omnibus illis quae inveniuntur in nobis ex parte intellectus et voluntatis per discursum temporis, in Deo inveniuntur correspondentia in permanentia aeternitatis. Est enim in Deo quaedam notitia essentialis in Patre, quemadmodum in nobis est prima notitia rei incompleta quae omnem appetitum et amorem praecedit, et primo excitat appetitum amoris ad inquirendum de cognito notitiam perfectam. «Nemo enim», ut dicit libro XV^o cap.^o 27^o, *«vult quod omnino quid vel quale sit nescit»*. Isti amoris in nobis respondet in Patre amor essentialis cui complacet in Verbi conceptu de mente paterna quasi informata actuali notitia essentiali, et respondet ista complacentia appetitui in nobis inquirenti notitiam perfectam, qua habita voluntas illa perficitur et fit amor fruientis, et de gignente mente et genita notitia procedens, cui respondet in divinis amor procedens qui est Spiritus Sanctus. Et sic in divinis partum mentis ordine quodam praecedit appetitus, scilicet amoris essentialis in voluntate Patris ut solius Patris; ille tamen non est amor ille qui est Spiritus Sanctus, sicut nec amor

perfectus est ille amor procedens, nisi quod ille amor personalis habet in se amorem essentialem sicut et omnia alia essentialia; et ille amor in nobis perfectus continet in se illum prius imperfectum, ut dictum est. Et sic numquam est amor nisi procedat de notitia sibi correspondente, essentialis scilicet de essentiali, et personalis de personali, ita etiam quod amor personalis procedere non possit nisi praevia notitia personali de qua eliciatur, ut habitum est supra.

Sed intelligendum quod amorem elici de aliquo potest intelligi dupliciter: uno modo tamquam de eliciente actum; alio modo tamquam de illo quod est ratio eliciendi actum. Primo modo amor procedit de notitia et hoc de notitia et ingenita quae Pater est et genita quae Filius est. Et sic etiam Filius est notitia de notitia, genita scilicet de ingenita, dicente AUGUSTINO XV^o De Trinitate cap.^o 27^o. De horum processu in nobis *«quando quod scimus dicimus ex illo quod novimus, cogitatio nostra formatur sitque in acie cogitantis imago simillima cognitionis eius quam memoria retinebat, ista duo, scilicet velut parentem et prolem tertia voluntate sive dilectione iungente quam ostendit de cognitione procedere»*. Secundo modo amor procedit de voluntate personali mediante essentiali, sicut et notitia genita de intellectu mediante notitia essentiali.

QUAESTIO 7

UTRUM PERSONA QUAE COMMUNITER EMANAT AB ILLA QUAE NON EST AB ALIA ET AB ILLA QUAE EST AB ALIA, UT SPIRITUS SANCTUS A PATRE ET FILIO, EMANET AB EIS AEQUE PRIMO, PRINCIPALITER ET EODEM MODO

Circa septimum arguitur quod persona quae communiter emanat ab illa quae non est ab alia et ab illa quae ab alia, ut Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non emanat ab illis aeque primo, quia quod convenit principio et principiatio ordine naturalis originis convenit eis, ut patet ex habitis supra. Spirare Spiritum Sanctum convenit Patri et Filio ut principio et principiatio, quia Patri ex se, Filio autem a Patre, ut similiter habitum est supra. Ergo etc.

Quod non aeque principaliter, quia dicit AUGUSTINUS, XV^o De Trinitate, cap.^o 17^o et cap.^o 26^o, quod *«Spiritus Sanctus principaliter procedit de Patre»*. — Item, HIERONYMUS dicit quod *«Spiritus Sanctus procedit proprie a Patre»*, ut ostendit MAGISTER I^o Sententiarum, distinctione 12^a in cap.^o 'Ex eodem' triplici auctoritate. Sed non dicitur proprie procedere de Patre nisi ad differentiam aliquam quod non

procedit ita proprie a Filio. Cum autem procedit aliquid a duobus, ab uno proprie ab alio non proprie, principaliter procedit ab illo a quo procedit proprie. Ergo etc.

Quod non aequae immediate arguitur, quia procedit «a Patre per Filium», ut ostendit MAGISTER distinctione dicta cap.^o 'Forte', pluribus auctoritatibus HILARII. Nihil autem aequae immediate procedit a duobus quando ab uno procedit per alterum. Ergo etc.

Quod non aequae per se, quia quod per se convenit alicui, convenit ei non ab alio. Sed Filio convenit spirare ab alio sicut et esse ut a Patre, Patri autem a se. Ergo etc.

Quod non eodem modo arguitur primo sic. Quia procedit a Patre amore procedente in Filium, a Filio autem econverso amore procedente a se in Patrem, ut dictum est supra. Amor autem est ratio producendi Spiritum Sanctum ab utroque, non autem idem modus iste et ille. Ergo non est idem modus in ratione procedendi Spiritum Sanctum ab utroque. Sed ubi non est ratio penitus eiusdem modi, nec idem modus procedendi. Ergo etc.

Secundo sic. Causa primaria et secundaria non producant eodem modo effectum unum, secundum primam propositionem *De causis*. Pater in productione Spiritus Sancti est causa primaria, Filius quasi secundaria quia Filius habet a Patre quod producit Spiritum Sanctum. Ergo etc.

Tertio sic. «*Propter quod unumquodque tale et illud magis*». Si ergo Filius spirat propter Patrem a quo habet, magis ergo spirat Pater; quare non eodem modo.

Contra. Quaecumque sunt unum simpliciter in agendo aliquem actum, agunt aequae primo principaliter immediate per se et eodem modo, quia opposita horum non habent locum in eodem simplici. Pater et Filius sunt unum simpliciter in spirando Spiritum Sanctum, ut habitum est supra. Ergo etc.

<SOLUTIO RESPONDENDO AD ARGUMENTA>

Dicendum ad primum argumentum iuxta praedicta in principio dissolutionis quaestionis proximae praecedentis quod sicut multitudinem procedentem ab uno oportet ordine quodam reduci ad unum unde ambo procedunt, ut ideo non aequae primo possint plures procedere ab uno, secundum quod ibi declaratum est, sic ex parte ista pluralitatem a qua procedit unus oportet ordine quodam reduci ad unum unde ambo procedunt, scilicet et ille unus qui ab ambobus et similiter alter illorum a

quo ille unus procedit, ut ideo non aequè primo possit penitus una persona procedere a pluribus. Verumtamen aliter hic quam ibi. Ibi enim nullo modo duo sic aequè primo procedunt ab uno quin sit ibi aliquis ordo, ut ibi expositum est.

Hic vero quodam modo sic et quodam modo non, iuxta enim quandam distinctionem in quaestione praecedente positam, li 'aequè primo' potest determinare actum spirandi ut refertur ad agens ut agens est et praecise eliciens actum, intelligendo potentiam spirandi ex parte actus et includi sub illa determinatione; vel ut refertur ad agens eliciens actum vi spirativa, vim spirativam intelligendo ex parte agentis non inclusam sub illa determinatione. Primo modo dico quod Pater et Filius non aequè primo spirant sed ordine quodam, scilicet quo habent vim spirativam, Pater scilicet a se, Filius a Patre. Sic enim convenit Patri primo spirare et Filio secundario, et hoc non ratione ipsius actus, sed ratione virtutis spirativae intellectae circa actum quam ordine quodam habent Pater et Filius quia Filius a Patre quemadmodum, secundum HILARIUM, Filius est secundus a Patre in quantum habet esse a Patre. Secundo modo dico quod Pater et Filius aequè primo absque omni ordine spirant, quia sunt unum principium in origine spirationis, ut supra dictum est. Argumentum contra hoc inductum solum procedit in primo membro distinctionis, ut patet inspicienti.

Ad secundum argumentum de «*principaliter*», distinguendum est distinctione iam posita et eodem modo est vera et falsa. Unde AUGUSTINUS, cap.º 17º, subdens quare dixit «*principaliter*», dicit: «*Ideo addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater dedit*».

Et cum 'principalitas' dicitur quadrupliciter, scilicet virtute quemadmodum pater principaliter generat non mater, ut in creaturis; actione quemadmodum forma ignis principaliter generat ignem non calor eius; dignitate quemadmodum causa primaria et universalis principaliter agit respectu causae secundariae et particularis; et auctoritate quemadmodum princeps principaliter praecipit respectu ballivi. Solum isto modo ultimo sumitur principalitas in divinis et in proposito, licet non omni eodem modo, ut infra declarabitur. Et sic convenit principalitas soli Patri non solum in spirando sed in omni actione quam communiter agit cum alia persona una vel pluribus, quia nomen auctoris proprie non convenit alicui respectu alterius quin habeat ex se quod alter procedit ab ipso, dicente HILARIO IVº De Trinitate: «*Ipso quo Pater dicitur eius quem genuit auctor ostenditur, adhibens nomen quod neque ex alio profectum intelligatur et ex quo is qui genitus est substituisse doceatur*». Unde si Pater haberet esse ab alio, non principaliter diceretur auctor Filii. Et propter

hoc, secundum quod dictum est supra, Filius ea quae sibi conveniunt, Patri solet ascribere.

Extendendo tamen nomen auctoris, dicit HILARIUS quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio auctoribus, appellando auctorem omnem illum a quo habet alius esse; et sic Spiritus Sanctus non dicitur auctor nisi respectu creaturarum. Et quia in isto modo auctoris non concurrit auctoritas dignitatis quemadmodum concurrat in principe respectu ballivi, ideo in divinis auctoritati in una persona non respondet subauctoritas in altera, secundum quod inferius declarabitur, sicut auctoritati in principe respondet subauctoritas in ballivo. Et hoc quia in ballivo sub inferiori gradu recipitur potentia regis quam sit in ipso, in divinis autem penitus aequalis virtus ab auctore recipitur in eo qui ab ipso est. Et sic patet quod in primo membro distinctionis praedictae procedit dictum AUGUSTINI, et similiter potest distinguere dictum HIERONYMI et in sensu eiusdem membri procedunt.

Quamquam 'proprie' tripliciter dicitur: uno modo secundum quod distinguitur contra participative quemadmodum Deus dicitur esse proprie quia essentialiter, et omnia alia participative; alio modo contra commune quemadmodum risibile dicitur proprium homini, quia non est ei cum alio aliud commune; tertio modo contra ab alio esse quemadmodum ille proprie dicitur regnare qui ex se habet esse rex a nullo alio habendo quod regnet, non autem ille qui ab alio habet et tenet regnum suum. Et in omnibus istis modis dicit specialem modum habendi aliquid, tamen in divinis non accipitur nisi iuxta tertium modum eius quod est proprie. Et sic solus Pater dicitur proprie spirare Spiritum Sanctum, quia a se ipso non ab alio habet quod spirat eum; non autem Filius quia hoc habet a Patre.

Ad tertium argumentum de «*aeque immediate*», dicendum secundum praedictam distinctionem quod si refertur ad agentes ratione virtutis in ipsis, sic aequae immediate procedit ab ambobus, quia illa unica est et aequae simplex in ambobus, in qua nulla poterit cadere mediatio. Si vero ratione qua agentes sunt, sic dupliciter contingit loqui de ipsis. Uno modo in quantum uterque illorum virtutem spirandi habet in se ipso, et sic ambo aequae immediate spirant. Alio modo in quantum Filius habet a Patre quod spirat, sic Pater spirat mediante Filio, et secundum hoc non aequae immediate, et non est contradictio neque contrarietas, quia est secundum diversas rationes et considerationes. Et cum medium pluribus modis reperiatur, medium in proposito est solum medium naturali ordine, quia ordine tali Filius vim spirativam habet a Patre, ut patet ex supra determinatis. Unde etiam cum pluribus modis dicatur aliquis operari per alium, ut supra declaravimus in quaestione de uniformitate

divinarum actionum, in proposito secundum eandem rationem qua Pater dicitur spirare mediante Filio, etiam dicitur spirare *«per Filium»*, ut confirmat MAGISTER 12^a distinctione *Sententiarum*, praedicta auctoritatibus HILARII in cap.^o ‘Forte’, ut Pater dicatur spirare per Filium, quia vis spirativa sub eadem ratione praecisa qua convenit Patri in spirando Spiritum Sanctum, convenit et Filio in spirando eundem praeter hoc quod illam habet Pater ex se et Filius eam habet a Patre, ut patet ex iam determinatis et iam amplius declarabitur. Nec est inconveniens quod ab una persona sic procedit alia mediate et immediate, quia hoc est secundum diversum modum, quoniam eandem virtutem quam alteri dat mediante quo spirat, etiam sibi retinet ut per ipsam immediate spirare possit. Et per hoc patet ad argumentum contra hoc.

Est autem intelligendum ad intellectum huius propositionis “Pater spirat vel agit aliquid per Filium”, quod haec praepositio ‘per’ circa suum casuale notat aliquam rationem causalitatis super actum quem determinat; sed illam causalitatem quandoque notat super actum ut fluit ab agente, et sic etiam aliquam causalitatem circa id per quod agit. Et hoc vel finalem, ut cum dicitur quod artifex operatur per amorem lucri; vel formalem, ut cum dicitur quod operatur per artem; vel efficientem ut cum dicitur quod ballivus aliquid agit per regem; vel materialem ut cum dicitur homo pati per potentiam passivam. Et nullo istorum modorum Pater agit per Filium, quia Filius nullam habet causalitatem super actum aliquem ut egredi habet a Patre, ut sit ratio, causa vel principium egrediendi actum ab ipso; immo isto modo quasi secundum genus causae efficientis. Filius econverso dicitur agere quaecumque agit per Patrem, ut expositum est in quaestione praetacta, quia Pater est ratio et principium quod actus quicumque egrediatur a Filio, eo quod virtutem ad hoc habet ab ipso. Quandoque vero notat illam causalitatem super actum solummodo ut transit in effectum sive in principiatum. Et hoc contingit tripliciter. Quandoque enim illud per quod alius agit habet virtutem aliquam agendi ex se ipso quae fortificatur per virtutem alterius; sic rex dicitur agere per ballivum. Quandoque autem nihil habet virtutis in agendo ex se, sed ab alio. Et hoc dupliciter: quia aut recipit virtutem defluentem ab illo et aliam, sic artifex operatur cultellum per martellum, aut recipit eandem. Isto modo agit Pater per Filium, et eisdem modis quibus dicitur aliquid agere per aliud et mediante illo et secundum idem genus causae, ut patet inspicienti.

Ad quartum de ‘per se’, dicendum quod li ‘per se’ potest sumi in proposito orationaliter, ut li ‘se’ sit pronomen reciprocum; et dictionaliter et significative secundum se; vel dictionaliter ut sit quaedam adverbialis circumlocutio determinans praedicatum in relatione ad

rationem sive ad causam inhaerentiae praedicati in subiecto, et li 'se' non sit dictio secundum se significativa sed solummodo pars dictionis. Si primo modo, dicendum quod Pater et Filius eius per se spirant Spiritum Sanctum, licet non ambo aequae a se, quia uterque eorum spirat per essentiam divinam quae sua est, et ideo per se, licet Pater eam habeat a se, Filius autem a Patre, et propter hoc dicitur quod Pater spirat a se, non sic Filius. Et secundum hunc modum Pater aequae per se spirat et generat in quantum ambo immediate agit, licet non sic in quantum alterum eorum agit per alium, ut quod spirat per Filium, quemadmodum non aequae principaliter Pater generat et spirat in quantum spirat per Filium, ut habitum est supra secundum RICARDUM. Si autem li 'per se' accipiat dictionaliter, dicendum quod cum, ut dictum est in praenotata quaestione, 'per' pluribus modis accipiat et secundum multiplex genus causae, ut etiam iam expositum est in modis dicendi 'per se' accipi potest secundum omne genus causae, ut patet ex I^o P o s t e r i o r u m . Sed in proposito non pertinet nisi ad modum 'per se' secundum genus causae formalis, quia 'per se' est condicio medii sive rationis inhaerentiae praedicati in subiecto, et haec in proposito est vis spirativa, ut habitum est. Et dicitur aliquid agere 'per se', quoniam habet essentialiter in se ut aliquid sui id quo agit et quae aequae essentialiter habent illud in se, aequae essentialiter dicuntur agere propter illud 'per se'; ut non habeat hic locum distinctio praetacta praedictis articulis applicata.

Quare cum Pater et Filius aequae essentialiter habent in se vim spirativam Spiritus Sancti, quemadmodum dicitur I o a n n i s V^o: «*Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*», sic potest dici sicut Pater habet vim spirativam in semetipso, sic dedit Filio habere vim spirativam in semetipso, et hoc aequae essentialiter utrobique, iuxta quod AUGUSTINUS exponit praedictum verbum, S u p e r I o a n n e m sermone 22^o ait: «*in semetipso, ut non participatione vivat sed ut communiter vivat, et ipse omnino sit vita. Quid interest? Quia ille dedit, ille accepit*». Propterea igitur aequae et per se Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum, et hoc iuxta secundum modum dicendi 'per se', quemadmodum illa est "per se Pater est Deus" iuxta primum modum dicendi 'per se'. Nulla tamen illarum "Pater est Deus", "Pater spirat", "Filius est Deus", "Filius spirat", est per se et primo, quia nulli illorum ratio inhaerentiae praedicati in subiecto propria est sed communis ambobus, et sic utrique convenit per se, quemadmodum in demonstrativis communis passio per communem causam convenit pluribus, quemadmodum commutabilis proportio convenit in numeris et magnitudinibus, sicut dicit PHILOSOPHUS in I^o P o s t e r i o r u m . De illo autem praedicatur tale commune

solummodo primo et per se quod est commune utrique illorum, si aliquid fuerit tale. Ista enim est per se et primo “Pater generat”, et propter hoc, licet Pater aeque immediate generat et spirat, ut iam supra dictum est, non tamen aeque per se generat et spirat, secundum quod per se sumitur dictionaliter.

Ad obiectum in oppositum quod *«convenit alicui per se, non convenit ei ab alio»*, dicendum quod aliquid convenit alicui a se sive ex se formaliter sive effective sive principiative. Primo modo convenit utrique illorum ex se quod sit Deus et quod spirat, quia per id quod est forma essentialis in ipsis. Et quod sic non convenit alicui ex se, sed solum ab alio, non convenit ei per se. Secundo autem modo Filio nihil convenit ex se, quia non habet nisi quod habet a Patre, sed quod sic principiative habet ab alio, bene habet formaliter ex se et ita per se.

Ad quintum argumentum de eodem modo, dicendum quod hic non habet locum praedicta distinctio, quia modus actionis solummodo respicit modum emanandi ipsam a virtute agentis. Sed est hic distinguendum de ipsa actione, quoniam dupliciter potest circa ipsam considerari modus secundum duplicem comparisonem quam habet. Uno modo secundum quod per virtutem agentis emanat ab ipso; alio modo ut transit in terminum sive obiectum. Primo modo non est diffinitas ex parte actionis in divinis ubi personae agunt immutabili necessitate secundum modum virtutis suae, nisi sit aliqua diversitas in virtute qua agunt. Ista autem virtus in actione spirandi quae est concors voluntas duorum in mutuo amore unius ad alterum, ut dictum est supra, potest considerari dupliciter: uno modo ratione principalis significati voluntatis et amoris; alio modo ratione connotati ex parte voluntatis per hoc quod intelligitur concors, et ex parte amoris per hoc quod intelligitur mutuus. Primo modo cum voluntas et amor et ratione essentialis in ipsis et ratione respectus notionalis sub quo sunt ratio spirandi sunt unum et idipsum in Patre et Filio, et sunt Pater et Filius unum principium secundum hoc, ut habitum est supra, et ex eodem secundum quod idem non est nata procedere actio una nisi uno et eodem modo, dico quod Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum omnino uno et eodem modo, dicente AUGUSTINO, XV^o De Trinitate cap.^o 27^o: *«Spiritus Sanctus simul de utroque procedit, quamvis hoc Filio Pater dedit, ut quemadmodum de se ita de illo quoque procedit»*. Cuius rationem subdit dicens: *«Sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, dedit et Filio habere vitam in semetipso, sic dedit ei vitam quae Spiritus Sanctus est, procedere de illo sicut procedit de ipso»*. Et RICARDUS, VI^o De Trinitate dicit sic: *«Prorsus omnino uno eodemque modo procedit tam a Patre quam a Filio, siquidem utrobique una eademque per omnia ratio»*.

Si secundo autem modo consideratur ratio spirandi ratione connotati circa voluntatem per hoc quod dicitur concors, cum concordia non est nisi in uniformitate, quoad hoc iterum ambo spirant uno eodemque modo, et propterea Spiritus Sanctus non plus nec minus aut magis spiratur ab uno quam ab altero. Si vero consideretur ratione connotati circa amorem ex hoc quod dicitur mutuus, cum ratione qua mutuus respicit diversos terminos, quia ex hoc quod est mutuus est Patris in Filium et Filii in Patrem, quoad hoc non uniformiter aut eodem modo spirant. Sed ista diffinitas consistit in ratione spirandi solummodo ut est in spirantibus se reciprocative amantibus, non autem ut respicit actum. Et ideo nec redundat in spirandi actum ut aliquo modo plurifictur propter ipsos, sicut nec pluralitas eorum qui spirant.

Si vero consideretur actus spirandi ut transit in obiectum, hoc potest esse dupliciter. Uno modo ut transit in obiectum quod est terminus actionis constitutus per ipsam; alio modo ut mediante illo transit in obiectum quod est terminus actionis tantum et non constitutus per ipsam. Primo modo ipse Spiritus Sanctus est terminus actus spirandi procedens ab ipso ut persona in se subsistens, et hoc modo uniformiter et eodem modo procedit ab ipsis, quia nec plenius nec perfectius ab uno quam ab altero. Secundo modo terminus actus spirandi sunt Pater et Filius qui mutuo sibi spirant sicut et mutuo sese diligunt. Per actum enim spirandi Spiritus Sanctus procedit ut persona in se subsistens et sic ut terminus actus constitutus per ipsum. Procedit etiam a Patre in Filium et a Filio in Patrem ut in terminum actionis qui est terminus tantum, non constitutum per ipsam. Et hoc ideo quia procedit per modum amoris mutui, et ipse est amor procedens in quo completur mutuus amor eorum tamquam in eo quo mutuo se amant, et sic procedit a Patre in Filium ut quo Pater perfecte amat Filium, et a Filio in Patrem ut quo Filius perfecte amat Patrem, et ita est nexus amborum quo mutuo perfecte se amant; non est enim amor nisi tendat in alterum. Hoc ergo modo in quantum spirant Spiritum Sanctum mutuo unus in alterum, non omnino eodem modo spirant. Sed haec diffinitas nec redundat in spiratum, nec in actum spirandi, quia solum consistit ex parte terminorum, scilicet Patris et Filii, in quantum sibi mutuo spirant Spiritum Sanctum, ut dictum est.

QUAESTIO 8

UTRUM A QUALIBET DICTARUM TRIUM PERSONARUM EMANET ALIQUA
ALIA

Circa octavum arguitur quod a qualibet dictarum trium personarum aliqua alia emanat sic. De ratione perfectionis personae in divinis est quod ab ipsa emanat alia persona, ut dictum est supra. Sed aequalis perfectio est in qualibet divinarum personarum etiam cum emanaverit alia persona ab ipsa. Persona enim emanans nihil diminuit de virtute eius a qua emanat. Ergo a qualibet divinarum personarum emanat alia etiam cum aliqua emanaverit ab eadem.

Secundo quod a qualibet personarum emanantium emanat alia sibi consimilis omnino, quoniam a persona a qua alia emanat, communicatur personae emananti substantia illius, ut habitum est supra. Sed non communicatur substantia nisi simul communicetur eius virtus et potentia, eadem autem virtute et potentia natum est simile emanare ab illo in quo est. Ergo etc.

Quod confirmatur per hoc quod dicit APOSTOLUS, < Ad > Hebraeos 1, de Filio Dei: «*Cum sit splendor gloriae portans omnia verbo virtutis suae*» etc. Est ergo verbum aliquod virtutis Filii quo omnia portat. Verbum autem quo omnia portantur non potest esse nisi verbum infinitum et increatum et aeternum. Est ergo aliquod verbum infinitum, aeternum et increatum virtutis Filii. Tale autem non est nisi verbum personale procedens a virtute Filii; a virtute autem Filii non procedit verbum nisi sit verbum Filii; non est autem verbum in divinis nisi sit Filius. A verbo ergo in divinis procedit verbum et a Filio Filius. Ergo etc. Et eodem modo potest argui ex parte Spiritus Sancti in producendo alium Spiritum Sanctum.

Tertio sic. Filius aut potest generare alium filium aut non potest. Non est dicendum quod non potest, quia omnipotens est. Et dicit RICARDUS, III^o De Trinitate cap.^o 4^o: «*Omnipotens per impossibilitatem excusari non potest*». Item AUGUSTINUS, Contra Maximinum libro I^o cap. 13^o, dicit sic: «*Filius non genuit, non quia non potuit, sed non oportuit*». Hoc autem non esset verum nisi quia potuit generare. Si enim non potuit generare verum esset quod non generavit quia non potuit. Si ergo potuit generare, ergo generavit, quia «*in aeternis non distant potentia et actus*». Et eo etiam in eis potentia a nullo est impedita nisi forte a voluntate, et tunc si Filius potuit generare sed non generavit, hoc est quia non voluit, quod est impossibile, quia hoc esset magnus «*benevolentiae defectus*», secundum RICARDUM ubi supra, et haberet Pater aliquam voluntatem secundum actum quam non haberet Filius.

Quarto quod in divinis a qualibet persona a qua emanat una persona potest emanare alia consimilis illi in persona arguitur. Quia in divinis emanans ab alia, per hoc quod emanat ab illa nihil derogat potentiae per quam emanat in persona a qua emanat. Quod si sic, qua

ratione producit per illam potentiam unam personam, et eadem ratione illa producta aliam similem illi, quemadmodum videmus in patre humano quod uno filio producto per suam potentiam generativam, nihilominus potest producere alium, et qua ratione in divinis persona producta potest producere secundam, eadem ratione et secunda producta potest producere tertiam et sic in infinitum. Ergo etc.

Quinto sic. Idem actus intelligendi qui convenit Patri, convenit et Filio et Spiritui Sancto, quare et consimiliter id quod super ipsum actum intelligendi fundatur ad productionem alicuius personae. Quare cum super actum essentialem intelligendi, ut dictum est supra et iam amplius declarabitur in sequenti quaestione, fundetur actus notionalis dicendi. Actus ergo dicendi notionalis uniformiter convenit tribus personis sicut et actus intelligendi, et si sic sicut Pater actu dicendi profert Verbum quod est Filius eius, quare et similiter Filius et Spiritus Sanctus. Quare cum secundum AUGUSTINUM in principio *De Trinitate* nihil profert sive producit se ipsum, Filius ergo alium filium a se producit dicendo aliud verbum a se et similiter Spiritus Sanctus, quia aliter illum produceret a quo producitur, quod est impossibile. Eadem ratione potest argui de spirare super velle ad probandum quod Spiritus Sanctus producat alium spiritum sanctum, et hoc utrobique in infinitum.

Sexto sic. Arguitur specialiter quod a Spiritu Sancto emanet aliqua persona sic. Non minoris efficaciae sunt Pater et Filius simul in producendo Spiritum Sanctum quam sit per se solus Pater in producendo Filium. Sed Pater per efficaciam suam in producendo Filium dat ei quod possit personam aliam producere cum Patre. Ergo et propter efficaciam quam habent ambo in producendo Spiritum Sanctum, dabunt ei quod communiter cum ambobus possit producere personam aliquam ulteriorem, et sic eadem ratione deinceps in infinitum.

In contrarium est fides catholica quod si alia aliqua persona est emanans in divinis a praedictis, non est in divinis praecise Trinitas personarum.

<SOLUTIO>

Quaestio ista petit explicari in speciali rationem quare in divinis sunt tres personae et tantum tres, quod declaratum fuit in summa et in generali in quaestione quadam super hoc mota in articulo praecedenti. Et est dicendum ad quaestionem propositam quod ab aliqua dictarum trium personarum, quarum prima non emanat ab alia, sed ab illa emanat secunda, et simul ab utraque tertia, non convenit intelligere emanare

aliquam aliam nisi per aliquem alium modum emanationis a praedictis qui sunt modo naturae et voluntatis, aut per aliquem istorum duorum modorum, aut per utrumque ipsorum.

Primo autem modo, qui principaliter pertinet ad praedictam quaestionem, non emanat ab aliqua illarum trium personarum aliqua alia persona, quia secundum supra determinata non convenit ponere in divinis aliquem alium modum emanationis. Quod et si aliquis esset possibilis, secundum illum procederet aliqua alia persona, et si essent plures alii modi, secundum illos procederent plures aliae, et hoc non solum ab aliqua illarum, sed ab omnibus simul, quia secundum praedeterminata diversi modi emanandi in divinis non possunt esse nisi ordinem quendam originis habeant inter se ut secundum determinationem superius habitam, a persona unica quae non est ab alia per primam emanationem procederet persona secunda et ei communicarentur per hoc omnes alii modi quibus a persona una nata esset emanare alia, et ideo per secundum modum emanandi a persona quae non est ab alia, et ab illa quae est ab unica simul, secunda emanatione emanaret tertia, et eadem ratione quarta ab illis tribus, et sic deinceps.

Secundo etiam modo qui pertinet principaliter ad istam quaestionem, non emanat ab aliqua illarum trium personarum aliqua alia, quia ab unico modo emanationis non potest in divinis procedere nisi unica persona, quotcumque ponerentur in divinis modi emanationum, sive duo praedicti tantum sive plures finiti aut infiniti, dicente RICARDO V^o De Trinitate cap.^o 10^o: *«Iuxta quamlibet differentiam impossibile est esse plus quam unam personam, nam a sola una persona non potest esse nisi unica; similiter persona quae est tantum a gemina non potest esse nisi unica sola»*; et sic deinceps si essent in divinis emanationes plures duabus. Et in divinis a sola una persona non possunt procedere duae personae sed unica tantum et secundum unum modum emanandi, et a solis duabus personis similiter non nisi unica et secundum unum alium modum emanandi. Ex quo concludit ulterius subdens: *«sicut ergo in divinitate non potest esse nisi una persona quae sit a semetipsa, sic non potest esse plus quam una quae sit ab una tantum persona, nec nisi una sola quae non est nisi a gemina»*.

Quare cum in divinis non sunt nisi duo modi emanationum per quas non emanant nisi tantum duae personae, et praeter illas secundum praedeterminata non est nisi tantum unica quae non est ab alia, idcirco irrefragabiliter concluditur quod in divinis non sunt nisi tres personae, una quae a nulla emanat, et una quae emanat ab illa sola quae non emanat ab alia, et tertia a qua nulla emanat et quae communiter emanat ab illa quae est a nulla emanans et ab illa quae emanat ab alia. Aliter autem scilicet quod a sola una persona non potest esse nisi unica.

RICARDUS ibidem assignat rationem ducentem ad inconveniens: «*Nam*», ut dicit, «*si gemina tantum de una procederet, pro certo procedentium neutra alteri immediate adhaereret, quod est impossibile*»; et similiter si duae tantum de duabus. «*Quoniam*», ut dicit ibidem, «*si quarta in deitate persona esse potuisset, proculdubio ex ceteris tribus eam originem trahere immediate oporteret, alioquin alicui earum non nisi mediata germanitate cohaereret. Et si quinta persona ibi esse potuisset, simili ratione de ceteris quatuor immediate procederet, et sic in ceteris quantumcumque series intelligibiliter protrahatur*». Et procedit haec ratio communiter sive de unica sola persona ponantur duae procedere sive secundum unum modum procedendi sive secundum plures, et sic de ceteris.

Sed super eo quod specialiter pertinet ad propositam quaestionem, quod scilicet secundum unum et eundem modum procedendi non possunt in divinis procedere plures personae, sive ab una persona sive a pluribus, ad hoc sunt aliae rationes speciales. Quod enim secundum unum modum procedendi sive emanandi singularem, puta secundum unam singularem actionem generandi emanarent duae personae, ut duo filii, hoc clarum est impossibile, quia una actio numero et singularis non est nisi ad unum terminum numero singularem, ut haec dealbatio non nisi ad hanc dealbationem, secundum PHILOSOPHUM V^o P H Y S I C O R U M .

Similiter quod secundum eundem modum emanandi specie, diversum numero, puta secundum diversas generationes aut spirationes, ponantur emanare in divinis diversae personae numero in eadem specie convenientes, ut duo filii vel duo spiritus sancti, etiam omnino est impossibile. Quod declaratur duplici via. Una ex parte eius quod est quasi materia sive subiectum aut fundamentum super quod fundantur actus emanationum et circa quod habent esse, et ex quo habent produci personae emanantes et in quo habent fundari proprietates personarum emanantium. Alia vero ex parte eius a quo procedunt et eliciuntur actus emanationum.

Prima via sic. Quidquid est in Deo essenziale, unicum est singulare et simplex. Est enim divina essentia singularis et unica, similiter intellectus divinus et voluntas, et intelligere et velle, in quibus fundantur et circa quae habent esse omnia personalia et notionalia. Actus enim notionales, ut dicere sive generare et spirare, fundantur in actibus essentialibus qui sunt velle et intelligere, ut declarabitur in sequente quaestione. Habent etiam esse circa divinam essentiam ut circa subiectum et quasi materiam, et ex ipsa habent personae produci, ut habitum est supra, et in ipsa habent fundari proprietates personales, paternitas, filiatio et spiratio. Quare cum illud quod fundatur in aliquo, aut

habet esse circa aliquid aut produci ex eo, non potest plurificari secundum numerum simul et in eodem instanti sub eadem specie nisi plurificato illo in quo fundatur et circa quod et ex quo habet esse. Verbi gratia, in creaturis: cum enim actus videndi colorem fundatur super actum immutandi visum a colore, si unica et simplex est immutatio, simul in eodem instanti non potest esse nisi unica simplex visio. Similiter cum actus dealbationis est circa corpus, si corpus est unicum secundum numerum, simul in eodem instanti non potest esse circa ipsum nisi unica dealbatio. Similiter cum album fiat ex non-albo, si subiectum non-album est unum numero, in eodem instanti non potest ex ipso fieri nisi unum album et unico actu albationis. Similiter cum albedo fundetur in corpore, et similitudo in albedine, si corpus illud est unum numero, non potest albedo fundata in ipso esse plures numero; et si albedo est una numero et similitudo fundata in illa, etiam super illam referatur ad plures quemadmodum unicus pater unica paternitate bene refertur ad plures filios. Oportet igitur quod sicut actus intelligendi et volendi in Deo essentielles super quos fundantur actus dicendi et spirandi notionales, simplices sint et singulares numero non potentes plurificari, similiter et sicut divina essentia unica est simplex et singularis circa quam habent esse ut circa subiectum et quasi materiam actus dicendi et spirandi et intelligendi, oportet quod consimiliter et ipsi actus sint simplices singulares et unici. Consimiliter etiam personae quae ex ipsa habent produci, secundum modum supra determinatum, oportet quod sint singulares et unicae numero, necnon etiam ipsae proprietates personales quae in ipsa divina essentia habent fundari, ut sic non sit plus possibile in divinis esse plures generationes, plures filios, aut plures filiationes, quam quod in eadem materia numero essent in eodem instanti plures transmutationes numero sub eadem specie, vel in eodem homine numero plures filiationes, vel quod ratione esset plures filii unus et idem homo, et hoc maxime simul in uno et eodem instanti, quemadmodum simul in eodem instanti aeternitatis habent esse quaecumque sunt in ipso Deo.

Secunda via ad idem declaratur sic. In qualibet emanatione divinae personae tota fecunditas in persona producente exhausta est omnino in productione unicae personae, ut nec in producente nec in producto restet fecunditas aliqua ad aliquam aliam emanationem productivam personae consimilis. Aliter enim illa persona secunda consimilis produceretur absque fecunditate productionis, et esset principiatum productum absque ratione principiandi ipsum in principiante, quod est omnino impossibile.

Illud autem ex parte intellectus in productione Verbi patet sic, et per simile quod intelligatur ex parte voluntatis in productione Spiritus

Sancti. Nam Verbum quod in divinis producitur, quia semper manens est, et similiter actus ipse producendi et producens ipsum semper uniformiter se habet, ipso producto non posset restare fecunditas ad aliud verbum producendum nisi possent esse duae productiones omnino eiusdem modi et eiusdem rationis simul, emanantes ex eodem principio et circa idem omnino uniformiter se habens, cum omnis productio Verbi in divinis necessario est eiusdem rationis sicut est et omne verbum quod potest esse in divinis, quemadmodum et omnis actus intelligendi et omnis productio filiorum in eadem natura et omnes filii et omnes filiationes etiam in creaturis. Illud autem omnino est impossibile. Nam duae productiones omnino unius et eiusdem rationis esse circa idem omnino uniformiter impossibile est, ut ostendit ratio praecedens, maxime ab eodem agente uniformiter semper se habente, quia hoc etiam impossibile est a diversis agentibus, sicut impossibile est in creaturis unam et eandem naturam numero omnino uniformiter se habentem, simul et semel, sive ab eodem agente sive a diversis pluribus motibus eiusdem speciei moveri. Impossibile est ergo quod eiusdem rationis sint in divinis plures productiones aut plures producti. Et sic omnino secundum eundem modum producendi non possunt in divinis plures procedere personae, secundum quod haec omnia amplius pertractata sunt in quadam quaestione de Quolibet, an scilicet in Deo sint tres personae et tantum tres.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «*aequalis perfectio est in singulis personis, ergo* et aequaliter et uniformiter est personae emanatio a singularis», dicendum quod in Deo differunt perfectio et ratio perfectionis. Perfectio enim de puris essentialibus est, propter quod eadem est de singulis personis. Ratio autem perfectionis est modus habendi eam secundum quem contrahitur ad personale qui non est pluribus semper communis, secundum quod expositum est supra. Unde quod Filius et Spiritus Sanctus non generant, hoc non procedit ex imperfectione sed ex perfectionis condicione. Nam eadem est perfectio trium sicut et eadem deitas, et ex eadem perfectione et diversa perfectionis condicione est quod Pater generet et quod non generetur, quod Filius generatur et non generat. Solus enim Pater habet eam ad generare quia sub proprietate primitatis innascibilis, Filius autem ad generari quia sub proprietate nascibilis.

Ad secundum quod «*persona a qua emanat alia communicat* illi quae emanat suam substantiam quare et virtutem» etc., responsio ad hoc dependet a significato huius nominis ‘virtus’ sive ‘potentia’ in divinis. Ad cuius intellectum sciendum est quod large sumendo significatum per nomen significatur aliquid dupliciter: uno modo ut a quo nominis fit impositio, alio modo ut cui fit. Primo modo potentia non significat formaliter nisi respectum sive relationem, et quasi materialiter in suo significato includit id in quo fundatur huiusmodi respectus. Et hoc modo diximus supra, loquendo de potentia Dei in generali, quod non significat nisi respectum. Secundo autem modo loquendo de significato potentiae, et hoc in speciali de potentia quae respicit in Deo actiones notionales personarum, sciendum quod cum in divinis personis non sunt nisi substantia et relationes reales, potentia non potest significare nisi aut substantiam tantum aut relationem tantum aut utrumque simul. Non isto ultimo, quia significans substantiam cum proprietate non est nisi persona, et potentia de suo significato non importat personam.

Substantiam tantum non potest intelligi significare nisi dupliciter, aut secundum se aut sub ratione alicuius respectus. Primo modo non potest dici significare substantiam, quia substantia secundum se nullam habitudinem notat ad actum, quam necessario notat potentia, ut satis declaratum est supra loquendo de potentia Dei in generali. Si ergo significat substantiam, hoc necessario est ut sub aliquo respectu ad actum, quod necessarium est ponere, scilicet quod significat substantiam, ut id cui nomen imponitur, et nisi substantiam, et hoc ut est sub ratione respectus, et non nisi ut est sub ratione respectus. Non nisi substantiam, quia non est potentia nisi id quo agens elicit actum, aut id de quo elicitur. Hoc autem non est nisi forma qua agens agit et natura qua patiens patitur. Et non nisi sub ratione respectus, ita quod sit ipse respectus potentia, sed sine quo non habet substantia rationem potentiae. Propter quod licet substantia sit eadem sub diversis respectibus, non tamen ipsa est eadem potentia omnino, immo sicut ipsa sub respectu, hoc est quia sub tali respectu est potentia simpliciter, sic quia est sub diversis respectibus, est diversae potentiae, et hoc quemadmodum determinavimus alibi quod anima, licet sit una substantia, tamen est diversae potentiae, et tamen potentia non est nisi substantia animae, et substantia animae est suae potentiae, sicut est de prima materia quod licet sit una substantia, est tamen plures potentiae. Et per hunc modum dicit PHILOSOPHUS loquens de materia XII^o Metaphysicae: cum agens est unum, si materia esset una secundum potentiam, species est una secundum substantiam, generatum ex ea non esset nisi unum.

ALII tamen considerantes quod non est potentia nisi ipsa substantia, non attendentes quod non est potentia nisi ut est sub respectu, putant quod sicut substantia est una sic est una potentia. Et dicunt quod in divinis non est nisi una potentia in tribus, sicut neque nisi una substantia; et, ut videtur, positio est MAGISTRI *Sententiarum* libro I^o distinctione 7^a cap.^o 'Idem'. Unde isti ad argumentum respondent ex parte virtutis sive potentiae, sicut iam responsum est ex parte perfectionis, dicendo quod «*eadem est potentia* Patris et Filii sicut et eadem deitas», et quod «*ex eadem potentia est* quod Pater generat et quod Filius generetur», ita quod nullam potentiam habeat Pater quam non habeat Filius. Sed Pater ad generare habet eandem ut potentiam activam, Filius autem ad generari ut potentiam passivam, et hoc quia alteri coniunctam respectui in Patre et Filio. Et sic dicunt quod Pater communicat Filio suam virtutem qua generat sive potentiam sicut et naturam, non tamen per ipsam potest generare Filius sed solus Pater, quia sub alio respectu habet eam Pater quam Filius.

Sed, ut dictum est, non debet dici quod significat quid absolute omnino, sed solum sub ratione respectus, ut sicut essentia est potentia ad generare sub respectu Patris, et ad generari sub respectu Filii, sic est potentia ad actum indeterminate ut essentia, non sic potentia ad generare nisi sit sub respectu paternitatis, neque ad generari nisi sub respectu filiationis, ita quod sit alia et alia potentia secundum quod est alius et alius respectus. Et hoc modo non eadem est potentia in Patre ad generare et in Filio ad generari et in utroque ad spirare et in Spiritu Sancto ad spirari, nisi intelligamus eandem quantum est ex se indeterminatam, quia sub indeterminato respectu; nec est in Filio potentia ad generare sive qua generatur active, nec in Patre potentia ad generari sive qua generatur passive, et similiter de potentiis utriusque respectu Spiritus Sancti et e converso.

Aliter igitur respondendum est ad argumentum dicendo quod «persona communicans substantiam suam cum ipsa communicat et virtutem», dicendum quod verum est quoad id quod est ipsa virtus sive potentia, quia non est nisi ipsa substantia, ut dictum est, non tamen quoad potentiam secundum rationem potentiae. Non plus enim potentiam sive substantiam sub ratione potentiae suae sibi communicat quam suam proprietatem sub qua substantia habet rationem potentiae suae sibi determinatae.

Aliter autem potest responderi distinguendo quod est quaedam substantia quae ex se habet determinatum respectum ad actum, et quaedam quae non nisi per aliquid quod est eius in quo est. De substantia primo modo, verum est quod communicata substantia com-

municatur et potentia eius. Isto modo quaelibet substantia creata habet potentiam determinatam sibi ad actum determinatum, secundum PHILOSOPHUM in fine IVⁱ Metheororum, et hoc propter substantiae creatae limitationem. Substantia vero increata propter suam illimitationem ex se habet potentiam absque determinatione per aliquid ad omnes actus essentielles, sed non ad actus notionales nisi per determinationem ad actum sub aliqua proprietate. Et ideo persona in divinis, communicans suam substantiam, communicat potentiam ad omnes actus essentielles, sed potentiam ad actus notionales non, quia non est nisi ex adiuncto in persona cui communicatur. Propter quod non potest communicari nisi simul cum communicatione substantiae communicetur adiunctum propter quod habet potentiam illam. Et ideo quia persona a qua emanat alia non communicat illi suam proprietatem sub qua habet sua substantia potentiam determinatam ad actum illius emanationis, propter hoc licet communicet illi suam substantiam, nequaquam tamen suam potentiam. Ut sicut Pater non communicat Filio suam substantiam sub sua proprietate, sic nec ei communicat suam potentiam qua generat.

Quod autem confirmabatur «*de Filio* quod haberet *verbum* quia secundum APOSTOLUM «*portat omnia verbo virtutis suae*», dicendum secundum Glossam quod ibi non sumitur verbum pro aliquo conceptu mentis, sed pro imperio voluntatis. Dicit enim sic: «*potestatem commendans ait ipse Filius est portans, id est continens et gubernans omnia verbo, id est solo imperio virtutis, id est potentiae et bonitatis suae. Et nota*», ut dicit, «*per simile dictum esse. Hoc enim dicendo facilitatem continendi voluit designare per metaphoram illorum qui sine ullo labore verbo vel digito movent aliquid vel efficiunt*».

Ad tertium «*Filius aut potest generare Filium aut non potest*», dicendum quod pertractando rationem de potentia modo praedicto quo ALIQUI ponunt potentiam significare substantiam absolute, multum refert quaerere an Filius possit generare et an in Filio sit potentia ad generandum, quia 'posse' verbaliter significatum significat potentiam ut applicabilem ad actum, secundum quod est in eo cui attribuitur 'posse'. Potentia vero nominaliter significata significat potentiam ut est res quaedam absoluta secundum dicta et modum significandi respiciens actum ut applicabilem simpliciter ad actum ut in aliquo supposito, licet non determinate in eo cui attribuitur. Unde dicendum est, secundum ILLOS, quod ista est vera "in Filio est potentia a Patre ad generare", non qua ipse Filius generet, sed qua aliquis in divinis generet, ut secundum hoc differat dicere quod "in Filio est potentia quae est ad generare", et "in Filio est potentia ut generet". Haec enim secundum ILLOS simpliciter vera est "in Filio est potentia quae est ad generare"; ista vero simpli-

citer est falsa ‘Filius potest generare’, et illa opposita vera ‘Filius non potest generare’, distinguendo tamen secundum ILLOS, ut iam dicitur.

Et quod arguitur per RICARDUM quod «*omnipotens per impossibilitatem non potest excusari*», dicendum quod aliquem excusari per impossibilitatem ne posset in actum potest intelligi dupliciter, secundum quod dupliciter potest causari illa impossibilitas, sive ex duplici de causa. Uno modo et una de causa ex defectu potentiae ordinabilis ad actum; alio modo ex inapplicabilitate eius ad actum ut est in aliquo. Primo modo, ut dicunt, veritatem habet dictum RICARDI. Unde postquam dixit «*omnipotens per impossibilitatem excusari non potest*», continuo subdit: «*Sed constat non ex defectu potentiae*». Et hoc modo Filius «*per impossibilitatem non potest excusari*» a posse generare quia, ut dictum est, habet potentiam quae ad hoc ordinatur, licet in alia persona. Secundo autem modo dictum RICARDI non intelligitur nec haberet veritatem. Sic enim Filius per impossibilitatem excusatur a posse generare, quia potentia quae est in ipso ad generare non est applicabilis ad actum generandi active secundum quod est in ipso, quia non est in ipso ut generet, nec sub proprietate qua determinari potest ad hoc, ut dictum est. Et sic ista impossibilitas in Filio non dicit aliquid privative, — hoc enim defectus esset in Filio, non condicio personae — sed dicit aliquid negative tantum, licet enim defectus est si in aliquo non sit quod natum est ex sua condicione ei inesse, ut visio in animali qualem defectum nominat privatio; non tamen defectus est si in aliquo non sit quod non est natum ei inesse ex sua condicione, ut infra declarabitur.

Et sic arguitur contra hoc quod si Filius non potest generare et Pater potest generare, ergo Pater aliquid potest quod non potest Filius, argumentum hoc tangit MAGISTER distinctione 7^a I S e n t e n t i a r u m in principio distinctionis. Et est dicendum quod non sequitur, quia secundum quod dicit MAGISTER S e n t e n t i a r u m «*posse generare Filium non est posse aliquid sed ad aliquid*», quoniam in divinis generatio non est aliquid sed ad aliquid, similiter neque Filius. Et ideo posse generare est posse ad aliquid, et posse generare Filium non est posse generare aliquid. Non est inconveniens quod Pater potest in actionem alicuius respectus in quam non potest Filius, et producere aliquem quem non potest producere Filius, et hoc non ex impossibilitate defectus et conditionis, ut dictum est et amplius iam dicitur, ut non possit concludi ex praedicto modo «ergo aliqua potentia est in Patre quae non est in Filio», sed solum quod potentia quae est eadem in Patre et Filio sit ad aliquam actionem vel personam producendam in Patre ad quam non in Filio.

Quod arguitur ex dicto AUGUSTINI «*Filius [quod] non genuit, non est quia non potuit generare, sed quia non oportuit*», dicendum quod illa negatio

cum dicitur «*non potuit*», potest intelligi pure negative vel privative. Si negative, sic dicendum quod illa «*Filius non genuit, non quia non potuit*», duplicem habet intelligentiam. Quia cum li 'potuit' includat potentiam ut ordinatam sive ordinabilem ad actum in persona cui attribuitur, aut ergo illa negatio cum dicitur «*non potuit*», potest negare potentiam generandi active ratione ipsius potentiae et applicationis eius ad actum simul; vel ratione applicationis eius ad actum tantum. Primo modo falsa est, quia negat Filio non inesse potentiam qua generatur sive qua aliquis generat, quem sensum quaerebant haeretici. Unde assumpto verbo praemittit AUGUSTINUS, libro III^o Contra Maximinum cap.^o 12^o: «*Absit ut quomodo putas ideo Pater sit potentior Filio quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem, non enim non potuit*», etc. Et sic isto modo est illa vera, non quia non potuit sub hoc sensu exponendo dictum AUGUSTINI: «*non genuit non quia non potuit sed quia non oportuit*», id est non quia non habuit potentiam qua generat Pater, sed quia non oportuit, et hoc ideo quia sufficienter impleta fuit in actu omnino et exhausta in hoc quod Pater per eam generavit. Unde AUGUSTINUS exponens quare non oportuit, continuo subdit dicens: «*Immoderata enim esset divina generatio si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia et ipse nepos nisi avo suo pronepotem gigneret secundum vestram mirabilem sapientiam, impotens diceretur iste, et ille nisi nepotem gigneret avo suo et pronepotem proavo suo, non a vobis appellaretur omnipotens, nec impleretur generationis series si semper alter ex altero nasceretur, nec eam perficeret ullus si non sufficeret unus*». Unde si Pater non effunderet totam potentiam activae generationis unico actu unicum Filium generando, Filius filium generaret in infinitum, propter quod supra fundata est ratio nostra ostendens quod in divinis non potest generari plus quam unus Filius ab uno.

Ex eo autem quod sic negatur de Filio quod non potuit generare dicendo «*non quia non potuit*», non sequitur, licet videatur sequi, quod potuit generare. Sensus enim illius est: non quia non habuit potentiam qua generatur applicabilem ad generare ut est in se ipso, tum ratione potentiae, tum ratione applicabilitatis, immo ipse habuit potentiam qua generatur. Ex quo non sequitur quod potuit generare, quia, ut iam dictum est supra, li 'potuit' dicit non solum potentiam sed applicabilitatem eius ad actum in eo cui attribuitur. Habere autem potentiam huiusmodi nequaquam huiusmodi applicabilitatem importat, et sic illa est vera «*Filius non genuit non quia non potuit*», id est non quia non habuit potentiam qua generatur, immo habuit illam, licet non applicabilem ad illum actum ut est in ipso, ut dictum est. Si vero illa negatio «*non potuit*» neget potentiam ut generet de Filio, non ratione ipsius potentiae qua generans generat, sed ratione applicationis eius ad actum solummodo,

sic ipsa est vera sub hoc sensu 'Filius non habet potentiam ut applicabilem ad generare', et illa «*Filius non generat non quia non potuit*», falsa est sub hoc sensu: non quia non potuit generare, id est non quia non habuit potentiam applicabilem in se ipso ad generare; immo habuit eam sic, «*sed non oportuit* quia noluit», eo quod Pater Filium generavit qui sufficit. Penes quem modum solebant ALIQUI dicere quod Filius potest generare, sed non generat, reducendo potentiam suam ad actum propter inconueniens quod sequitur, scilicet filiorum generationem in infinitum, quod iam inductum est secundum AUGUSTINUM. Sed hoc nihil est, cum «*in aeternis*», secundum PHILOSOPHUM, «*non differunt esse et posse*».

Unde quidquid non est in Deo, impossibile est esse in ipso, et quidquid est in ipso impossibile est non esse in ipso; tum quia, secundum ANSELMUM, «*in Deo minimum inconueniens summum est impossibile*». Unde si inconueniens sequitur ex hoc quod ponatur Filius posse generare, illud est summum impossibile; immo «*si generare potuit, generavit*», secundum quod procedit deductio rationis. Si vero illa negatio 'non potuit generare' ponatur privative, sic est falsa sub hoc sensu 'Filius non potuit generare', id est impotens fuit carendo potentia ad generandum quam tamen natus esset habere, vel omnino non habendo applicabilitatem eius ad actum, aut non perfectam propter aliquem defectum aut impedimentum. In hoc enim differunt negatio et privatio: negatio enim dicit amotionem alicuius ab alio absolute; privatio autem negat possibilitatem essendi eius quod privatur in subiecto a quo privatur, secundum PHILOSOPHUM IV^o Metaphysicae. Et sic iterum dictum AUGUSTINI est verum «*Filius non genuit non quia non potuit*», sub hoc sensu quem ponit MAGISTER Sententiarum I^o: «*Non ex impotentia sua fuit quod Filius non genuit*» — quod bene ostendit deductio rationis, — «*sed quia non oportuit*», id est «*non ei conveniebat*», hoc est non conveniebat suae proprietati, et ideo non oportuit, «*sicut Filius non potest esse Pater non utique ex aliqua impotentia, sed ex proprietate nativitatis qua oportuit eum non esse Patrem*» sed Filium tantum. Unde in divinis aliquid non oportere vel non congrue fieri vel non convenire ut fiat, idem est quod oportere vel congruere non fieri, et ita quod impossibile sit fieri.

Sed ponendo potentiam non esse substantiam nec econverso nisi sub ratione respectus, ita quod sub alio respectu et alio eadem substantia bene est alia et alia potentia; non refert dicere Filium posse generare et quod in ipso sit potentia quae est ad generare; nec refert quaerere an Filius possit generare et an in Filio sit potentia ad actum generandi, quia loquendo de tali potentia, «*cuiuscumque est potentia eius est et actus*» sibi respondens, nec est potentia in aliquo nisi sit applicabilitas eius ad actum in eodem. Et sic circa dicta in ratione nulla est difficultas, quo-

niam sicut Filius non potest generare sed generari, sic nec in ipso est potentia quae est ad generare, sed quae est ad generari; et habet Pater aliquam potentiam quam non habet Filius. Nec est «*eadem potentia penitus in Patre qua potuit Pater gignere et in Filio qua potuit Filius gigni*», sicut nec sunt idem gignere et gigni, ut non sit dicendum quod «*eadem potentia quae est in Patre est et in Filio*», licet ad alium actum, quia esse ad alium actum sub alio respectu est esse aliam potentiam. Quia enim «*potentiae distinguuntur per actus*», secundum PHILOSOPHUM, hoc solum facit quod potentia sit alia, quod scilicet est ad alium actum.

Ad formam vero argumenti respondendum est sicut prius secundum MAGISTRUM Sententiarum. Et sic nullum est inconueniens aliquam potentiam esse quae non est in Filio; nullum est inconueniens aliquam esse proprietatem Patris quae non est Filii, ut infra videbitur. Et consimiliter non est ista distinguenda «*Filius non habet potentiam generandi quam habet Pater*», quia nec habet potentiam ut generet sicut Pater, nec eadem potentia est qua potest gignere et ille gigni, ut dictum est, quamvis MAGISTER 7^a distinctione Sententiarum distinguat eas.

Unde licet in argumento praedicto ad quod respondet MAGISTER Sententiarum, commutatur ad aliquid in quid, si tamen sic arguatur “si Filius non potest generare, ergo aliqua potentia non est in Filio quae est in Patre”, diceret MAGISTER secundum opinionem praedictam quod non sequitur, sed quod hoc bene sequitur “ergo potentia in Filio non est ad eundem actum ad quem est in Patre”, eadem tamen potentia quae est in Patre est in Filio. Quod non potest stare. Cum enim, ut dictum est, non est substantia nisi ut est ad actum, et non est determinata potentia nisi sit ad determinatum actum. Quamquam ergo eadem substantia quae est in Patre sit in Filio, si tamen in Patre est ad actum qui est generare, ut scilicet ea Pater generet, et ideo est in Patre aliqua determinata potentia, in Filio autem nequaquam est ad eundem actum sed potius ad oppositum, in Filio ergo non est eadem potentia quae est in Patre, immo frustra esset in illo. Igitur bene tenet dictus processus ad aliquid in aliquid.

Etenim licet substantia non sit ad aliquid, quia tamen non conuenit ei nomen potentiae nisi ut est sub respectu qui est ad aliquid, potentia est ad aliquid et etiam cum hoc significat substantiam. Sicut enim substantiam esse sub uno respectu, non est ipsam esse sub alio respectu, sic substantia licet omnifariam sit una et eadem substantia, non tamen est una potentia ut est sub uno respectu et sub alio, sed alia et alia. Est enim secundum ALIQUOS «*substantia tracta ad relationem*», licet non sit principaliter relatio. Et secundum hunc modum potentiae Filius per impossibilitatem excusatur ne possit generare, non quae est

defectus, sumendo impossibilitatem privative; omnipotens enim per talem impossibilitatem a nullo actu potest excusari, sed quae est condicio naturae sumendo impossibilitatem negative. Licet enim Filius non habet omnino potentiam generandi active, hoc non est ex aliqua impotentia et defectu in illo, sed quia non congruit omnino; immo contrariatur suo modo essendi, ut dictum est. Quomodo autem non repugnat omnipotentiae Filii quod non est in eo aliqua potentia quae est in Patre, inferius videbitur.

Hoc autem modo loquendo de potentia in illo dicto AUGUSTINI «*Filius non genuit non quia non potuit*», negatio in eo quod dicitur «*non potuit*» non ponitur nisi privative; sic enim ista est falsa “Filius non potuit generare”, ut iam dictum est. Negative autem illa simpliciter est vera “Filius non potuit generare”, nec habet nisi sensum unicum, quia negat potentiam simpliciter, ut dictum est. Et sic in sensu privativo illa simpliciter est vera «*Filius non genuit non quia non potuit, sed quia non oportuit*», ut dictum est.

Ad quartum quod «*persona emanans nihil derogat potentiae eius a qua emanat* et sic post emanationem unius personae potest emanare alia consimilis», dicendum quod non est verum. Nisi hoc provenit ex aliqua derogatione facta potentiae eius a quo emanat, secundum quod tamen processit obiectio, sed potius provenit ex ipsius potentiae perfectione, qua semel diffundit se in actum perfectum permanentem et in perfectam productionem personae per illum. Quod enim ex potentia eadem actus iterantur, hoc non contingit nisi ex defectu potentiae, quod scilicet semel non diffundit se in actum perfecte, ut quod non sequitur in unico actu consequatur in pluribus. Et eadem ratione quod multiplicantur producta in eadem natura non est nisi ex defectu producti, in eo scilicet quod non plene continet in se quod pertinet ad naturam et rationem suam; propter hoc enim solum plurificantur individua sub eadem specie, secundum COMMENTATOREM super I^{um} Caeli et Mundi. Ubi ergo potentia perfecte semel se diffundit in actum perfectum aliquid perfectum producens, non est actio nisi unica secundum unam rationem et productum nisi unum, secundum quod expositum est in praesignata quaestione de Quolibet.

Ad quintum quod «*idem actus essentiales intelligendi similiter et volendi trium communes sunt, quare et actus notionales fundati* super ipsos communes sunt tribus» etc., dicendum quod huiusmodi actus essentiales dupliciter possunt considerari: uno modo secundum se et absolute, alio modo ut habent esse in persona hac vel illa. Primo modo non fundantur in eis actus notionales, quia sic essent communes omnibus personis quibus illi actus conveniunt, ut procedit obiectio; sed fundantur in eis

secundo modo. Actus enim notionalis dicendi non fundatur super actum essentialem intelligendi nisi prout ipse habet esse in Patre. In solo enim Patre, ratione suae innascibilitatis et primitatis qua non habet esse ab alio sed omne aliud et omnis alius ab ipso, est fecunditas ad primum actum productivum primi producti, et est fecunditas sapientiae et intellectus Patris existentis in actu intelligendi essentialiter ad dicendum sive producendum Verbum, quo perfectus est totus intellectus divinus essentialis et in se et ut est in qualibet trium personarum, ut sic Pater quasi vice omnium dicat unicum Verbum perfectum, ut non oporteat aliquam aliarum personarum Verbum dicere, et per hoc impossibile est in divinis esse aliud verbum, ut supra expositum est.

Consimiliter actus notionalis spirandi non fundatur super actum essentialem volendi, nisi prout ipse habet esse communiter in solo Patre et Filio. In solis enim ipsis ratione communis inspirabilitatis qua non habent esse ab alio per spirationem, licet illud non ponatur esse notio, ut infra videbitur, sed ab ipsis habet esse ipsum spiratum, est fecunditas ad secundum actum productivum, et est fecunditas amoris et voluntatis Patris et Filii existentis in actu volendi essentialiter ad spirandum amorem qui est Spiritus Sanctus, quo perfecta est tota voluntas essentialis divina et in se et ut est in qualibet trium personarum, ut sic Pater et Filius quasi vice totius Trinitatis spirent unicum amorem perfectum, ut non oporteat Spiritum Sanctum omnino spirare aliquem amorem, et propter hoc impossibile est in divinis esse alium amorem spiratum sive alium spiritum sanctum.

Ad sextum quod «*Pater per efficaciam suam dat Filio quem generat ut aliam personam producat, ergo ambo dant idem Spiritui Sancto*», dicendum ad hoc secundum RICARDUM, IV^o De Trinitate cap.^o 11^o, quod «*sicut necesse est aliquam esse personam quae non habet esse ab alia, sic necesse est ibi esse aliquam a qua non sit aliqua alia; utrumque namque simili ratione convincitur. Nam si in illa vera deitate non esset aliqua persona a qua non procederet aliqua alia, sed quaelibet ex alia procedens de se procedentem haberet, huiusmodi deductio in infinitum procederet*». Et ut dicit, cap.^o 12^o, hanc personam «*a qua nulla procedit, hoc sibi proprium habet*», ut sicut non possit esse in divinis nisi unica persona quae est a nulla et a qua alia aut aliae, et unica quae ab alia et a qua alia, sic necesse est tantum unicam esse illam quae est ab alia et a qua nulla, quia, ut dicit, «*si tales essent duae, nulla immediata germanitate essent coniunctae*».

Sed huiusmodi causa essentialior habetur ex praedeterminatis ex quibus etiam patet quod non procedit ex aliqua impotentia aut imperfectione talis personae quod nulla procedit ab ea, sed ex condicionis suae proprietate quia non oportuit, quia tota fecunditas divinae naturae

in duplici productione secundum praedeterminata exhausta est et completa. Nec etiam procedit ex aliqua inefficacia Patris et Filii in spirando Spiritum Sanctum, quod talem personam producant quae non potest aliam ulterius producere, licet Pater personam producat quae ulterius producit aliam, sed procedit ex producentium et productorum conditione, quia quod Filius a Patre recipit vim productivam personae est quia prima productione producit, quae ordinem habet ad secundam propter quod vis productiva secundum illam productionem ei communicatur ut cum Patre producat tertiam personam, sicut patet ex supra determinatis; et illa producta non restat ulterior propter quod ei nulla vis productiva communicatur, quia nulla est ulterius nec esse oportet nec potest, ut patet ex supra determinatis.

QUAESTIO 9

UTRUM ACTUS EMANATIONUM NOTIONALES GENERANDI ET
SPIRANDI SUNT QUAEDAM INTELLIGERE ET VELLE SIVE QUIDAM ACTUS
INTELLIGENDI ET VOLENDI

Circa nonum quod actus emanationum notionales generandi et spirandi sunt quaedam intelligere et velle sive quidam actus intelligendi atque volendi arguitur primo sic. Unius potentiae non est nisi una per se operatio, quia, secundum PHILOSOPHUM, «*potentiae distinguuntur per actus*». Sed generare et spirare sunt operationes intellectus et voluntatis quae sunt potentiae quaedam Dei secundum modum supra declaratum, et sunt singulae et unicae in Deo, quia in uno non potest esse nisi una potentia unius rationis, et istarum potentiarum operationes propriae sunt intelligere et velle. Ergo etc.

Secundo sic. AUGUSTINUS dicit, XV^o De Trinitate cap.^o 15^o:
«*Si potest esse in animo aliqua scientia sempiterna, et sempiterna non potest esse*

eiusdem scientiae cogitatio, et verbum verum nostrum intimum nisi nostra cogitatione non dicamus, solus Deus intelligitur habere Verbum sempiternum». Vult ergo quod verbum nostrum cogitatione dicimus. Est ergo dicere in nobis cogitatio quaedam; cogitare autem est intelligere quoddam; ergo etc. Ergo et consimiliter dicere Dei, quamquam enim non sit cogitare quoddam, ut dicit cap.^o 17^o, tamen respondet ei cogitare in nobis. Erit ergo dicere intelligere quoddam, et sicut est de dicere ex parte intellectus quod est quoddam intelligere, eadem ratione spirare ex parte voluntatis est quoddam velle. Ergo etc.

In contrarium est, quia si actus emanationum notionales generandi et spirandi essent quaedam intelligere et velle, tunc in Deo non esset alia potentia qua Pater generat et spirat ab illa qua intelligit et vult; et essent actus generandi et spirandi essentialia communes tribus, sicut et potentia intelligendi. Consequens falsum est. Ergo etc.

<SOLUTIO>

Ut videamus differentiam actuum notionalium generandi ex una parte et essentialium intelligendi atque volendi ex alia, oportet videre quomodo isti actus habent formari in intellectu et voluntate. Et primo ex parte intellectus, et deinde per similia eorum quae videmus in intellectu ex parte voluntatis, quia clariora nobis sunt quae experimur ex parte intellectus quam ex parte voluntatis. Et ordo quidam est eorum quae sunt in intellectu ad ea quae sunt in voluntate, secundum praedeterminata et amplius infra determinanda. Et quia, ut dicit RICARDUS: «*In creata natura legimus quae de natura increata sentire debemus*». Adhuc primo illorum actuum formationem inspiciamus in intellectu nostro, ut haec nobis scala fiat ad aspiciendum illam in intellectu divino, et informationem intellectus nostri consideremus inchoando in simili ab informatione visionis sensibilis in oculo corporis tamquam ab informatione sensus nobis notissimi, iuxta processum AUGUSTINI ab XI^o De Trinitate et deinceps.

In formatione autem visionis corporalis in oculo primum principium est species corporis visibilis a qua, secundum AUGUSTINUM, XI^o De Trinitate cap.^o 2^o: «*species sive forma imprimitur sensui quae visio vocatur, a qua etiam specie corporis substracta, manet corporis similitudo in memoria sensibili ad quam intrinsecus convertitur acies imaginationis, ut inde formetur intrinsecus, sicut ex corpore sensibili obiecto sensus extrinsecus formabatur*». Et, ut dicit cap.^o 7^o: «*Illam speciem quae in memoria est, quasi parentem dicimus eius quae fit in phantasia cogitantis. Sed neque illa vera parens est, quare neque ista vera*

proles est, sed unde interiora atque veriora exercitatus veriusque videantur. Et hoc in ipsa mente intellectuali in cognoscendo se ipsam, quae, secundum determinationem AUGUSTINI per totum X^{um} De Trinitate et ut replicat libro XIV^o cap. 4^o in fine: «*Semetipsam noscib*», et hoc non aliunde accipiendo speciem qua in noscendo informatur, quia «*nihil tam novit mens quam quod sibi praesto est, nec menti quidquam magis presto est quam ipsa sibi*». Unde, ut dicit cap.^o 5^o: «*Mens infantis se noscere credenda est, sed cogitare se non potest*», tamquam ipsa sibi sit «*memoria sui ut formetur cogitantis obtutus*». Et gignat in intellectu suam cogitationem, quia ut dicit cap.^o 7^o: «*sibi verbum esse sine cogitatione non potest. Cogitamus enim omne quod dicimus, quando eis quae memoriae praesto fuerant, sed non cogitabantur, cogitatio nostra formatum*». Et ut dicit, libro XV^o cap.^o 11^o: «*Gignitur de scientia quae manet in animo, ea scientia quae intus dicitur*». Et ut dicit, cap.^o 14^o: «*Verbum hoc veritas est, quoniam quidquid est in ea scientia de qua est genitum, etiam in ipso est simile in aenigmate illi Verbo Dei quod Deus est, quando et sic de nostra nascitur quemadmodum et illud de scientia Patris natum est*».

Qualitercumque autem veritas se habeat de hoc quod vult AUGUSTINUS quod mens nostra semper se ipsam cognoscit, in hoc tamen proculdubio veritas consistit quod in omni nostra cognitione intellectuali circa rem de qua natum est formari verbum, primo est aliqua simplex scientia sive notitia in intellectu creata, non opere intellectus, quia respectu talis notitiae intellectus creatus solum passivus est, sed de re intelligibili obiecta agente in intellectum suam speciem quae est notitia quaedam de ipsa quae manet in memoria, et ab illa simplici notitia sive scientia existente in memoria intellectu sic informato replicante super se ut est intellectus simpliciter, et movente se ipsum se ipso sic informato ut quodam intelligibili obiecto gignitur notitia sive scientia cogitativa, quae est verbum in intelligentia. Dico autem, secundum AUGUSTINUM XIV^o De Trinitate cap.^o 7^o: «*Intelligentiam qua intelligimus cogitantes*». Et hoc, ut dicit ibidem, «*illo verbo interiore*», quod, ut dicit cap.^o 15^o, «*maxime intelligere dicimus*».

Ex quo animadvertendum est quod duplex est actus intelligendi in intellectu. Unus simplicis intelligentiae de re intelligibili ut secundum se est obiecta ante verbi formationem, sed per ipsius rei obiectae actionem formatus ex quo manet simplex notitia in memoria; et alter cogitativus post verbi formationem formatus de re intelligibili ut est obiecta in ipso verbo. Cuius verbi formatio media est inter utrumque actum intelligendi, quia unus omnino praecedit ipsius verbi formationem in nobis, alter vero sequitur. Et sic actus dicendi quo formatur ipsum verbum, medius est inter utrumque actum intelligendi. Cum enim, ut dicit cap.^o 15^o: «*Quoddam mentis nostrae hac atque illa volubili cogitatione*

iactamus, et a nobis nunc hoc nunc illud, sicut inventum fuerit vel occurrerit cogitatur, tunc fit verbum verum, quando scilicet illud quod dixi volubili cogitatione iactari ad id quod scimus pervenit atque inde formatur eius omnimodam similitudinem capiens». Formatur autem de eo quod scimus intelligentia simplici tamquam de memoria.

Cum enim noster intellectus per diversas differentias sub genere discurrit investigando de re scita simplici notitia quod quid est eius, quam investigationem appellat volubilem cogitationem, et investigatione eius completa habita ultima differentia quod appellat AUGUSTINUS «pervenire *ad id quod scimus*», quia tunc primo interiora rei scitae deteguntur, ut per hoc tunc primo dicamur oculo intuitus pertingere sive pervenire ad ipsum scibile in vere ipsum sciendo. Quod cum cogitamus statim scibile ut scitum est actualiter et simplici notitia existens in memoria, generat de se quasi subito collectis omnibus differentiis cum genere, quod quid est quod in ipsa intelligentia est quaedam notitia distinctiva et discretiva seu declarativa, quam verbum appellamus in quo res ipsa existens ut explicata per partes movet ipsam intelligentiam ut intelligat cogitando, non cogitatione volubili qualis erat ante verbi formationem, sed stabili qua res perfecte cognoscitur et scitur. Quia notitia secunda quae est in verbo, non solum scit et intelligit rem, sed sic scit et intelligit eam ut sciat se scire et intelligere eam intellectu intelligendi secundo reflexo super actum intelligendi sive sciendi primum. Et sic actus, qui est dicere sive generare, non est idem quod intelligere sive primum sive secundum, quia dicere est vera actio procedens a memoria sive a notitia simplici existente in ipsa, sive de re obiecta ut est in memoria. Et sic est actio sive operatio quaedam intellectus informati simplici notitia qua in se ipso format notitiam declarativam simillimam illi simplici notitiae. Intelligere autem est passio in intelligentia a re intelligibili in se ut secundum se est confusum quid, vel in suo quod quid est ut est distincta per partes in notitia simplici.

Hoc ergo applicando ad propositum dicimus quod Deus Pater actu suo intelligendi simplicis notitiae cognoscit suam essentiam, quae quidem notitia est in ipso tamquam in memoria, de qua naturaliter formatur in eius intelligentia notitia declarativa et manifestativa eius quod iam est cognitum notitia simplici quae Verbum dicitur, dicente RICARDO VI^o De Trinitate cap.^o 12^o: «*Proferentis verbum sensus et sapientiae ipsius solet esse indicativum. Recte ergo dicitur Verbum per quod Patris qui fons sapientiae est, notitia manifestatur, quia Verbum nascitur de corde suo, et ipso propalatur proferentis intentio. In Patre est omnis veritatis conceptio, in Verbo omnis veritatis prolatio*». et cap.^o 13^o: «*Dei Filius Verbum dicitur eo quod ipse paternam claritatem loquitur, et qualis vel quanta sit per ipsum manifestatum*». Sic

autem in Deo de notitia simplici formatur notitia manifestativa, non per discursum sicut in nobis, sed simul et ab aeterno cum ipsa notitia essentiali simplici; in quo differt formatio verbi nostri a formatione Verbi divini, ut enim dicit AUGUSTINUS, XV^o De Trinitate cap.^o 16^o: «*Dicitur Dei Verbum ut Dei cogitatio non dicatur, ne aliquid quasi volubile credatur in Deo quod recipiat formam ut Verbum sit. Cogitatio quippe nostra perveniens ad id quod scimus atque inde formata, verbum nostrum verum est. Et ideo Verbum Dei sine cogitatione debet intelligi, ut forma simplex intelligatur, non aliquid habens formabile quod esse posset informe*», et hoc subsistens in eo in quo formatur non ei inhaerens sicut contingit in verbo nostro, in quo tamen intelligit is a quo formatur, quemadmodum et nos in verbo formato a nobis.

Dicimus ergo ad quaestionem descendendo quod emanatio actus notionalis dicendi Verbum sive generandi Filium, quod idem est, non est aliquis actus intelligendi. Sed est in nobis medius inter duos actus intelligendi, quorum unus est perfectus et completus, alius vero imperfectus et incompletus, differentes secundum rem. In Deo vero inter duos actus intelligendi Patris essentielles, differentes sola ratione, quorum uterque aequè completus est, quia unus et idem est secundum rem differens sola ratione, quia scilicet unus declarativus et manifestativus est, et haec notitia quasi cogitativa eius quod per alium cognitum est quasi simplici notitia.

Unde verum est quod actus dicendi sive generandi in Deo est actus intellectus, non sub ratione qua est intellectus purus sive intelligentia nuda — sub ista enim ratione Verbum in ipso non concipitur per actum dicendi,— sed est actus intellectus sub ratione qua est memoria continens in se notitiam simplicem et in ea obiectum quo elicit actum dicendi Verbum, ut dictum est. Et sic dicere non est aliquod intelligere quod consistit in speculatione, sed est potius producere quoddam quod consistit in speculabilis explicatione, secundum quod amplius in sequente quaestione declarabitur. Et sicut hoc dictum est de dicere sive generare ex parte intellectus respectu actus intelligendi, consimiliter intelligatur quoad aliqua de spiratione ex parte voluntatis respectu actus volendi, licet in multis sit dissimile, secundum quod haec omnia ex parte voluntatis inferius habent declarari loquendo de proprietate spirationis activae in Patre. Et secundum hoc concedendum est argumentum inductum pro ista parte.

<AD ARGUMENTA>

Ad argumentum vero primum inductum pro parte opposita quod «*non est operatio sive actio intellectus et voluntatis nisi velle et intelligere*» etc., dicendum quod intellectus in Deo dupliciter potest considerari: uno modo ut est intellectus sub ratione intellectus; alio modo ut est natura et sub ratione memoriae, secundum iam dictum modum. Primo modo eius operatio non est nisi intelligere, et consistit in speculatione atque perficitur modo passionis, qua scilicet ab obiecto intelligibili quasi informatur notitia illius. Secundo autem modo eius operatio consistit in productione. Intellectus enim existens in actu intelligendi simplicis notitiae iam perfectus et fecundus est ad producendum Verbum, non ut intellectus est et in patiendo, sed ut natura producens et in agendo. Et similiter est de voluntate et eius duplici actu, praeter hoc quo voluntas in actu simplici volendi activa est movendo se actu volendi in obiectum, cum tamen intellectus pure passivus sit in actione intelligendi simplici recipiendo motum ab obiecto, ut dictum est.

Ad secundum quod «*verbum dicimus cogitatione*», dicendum quod hoc non dicit, quia cogitatio sit actus quo principiative verbum producit, sed quia sine cogitatione actuali quasi primo non producit, secundum quod sequens quaestio declarabit.

QUAESTIO 10

UTRUM EMANATIONES ACTUUM NOTIONALIUM GENERANDI ET SPIRANDI FUNDENTUR IN ACTIBUS ESSENTIALIBUS INTELLIGENDI ET VOLENDI QUASI PRAESUPPONENTES ILLOS

Circa decimum arguitur quod emanationes actuum notionalium dicendi sive generandi et spirandi non fundentur in actibus essentialibus intelligendi et volendi quasi praesupponentes illos primo sic. Actus essentielles intelligendi et volendi communes sunt Patri, Filio et Spiritui Sancto qui producuntur per ipsos actus notionales generandi et spirandi. Personae autem agentes actus quoscumque secundum rationem intelligendi praecedunt actus et productae per actus sequuntur ipsos. Actus ergo notionales generare et spirare secundum rationem personas Filii et Spiritus Sancti per ipsos productas praecedunt, et personae eadem praecedunt actus essentielles, quare et actus notionales similiter praece-

dunt actus essentialia, et ita non fundantur in illis; aliter enim personae Filii et Spiritus Sancti essent et agerent antequam producerentur, et praecederent se ipsas, et essent ratio suae productionis, quae omnia falsa sunt. Ergo etc.

Secundo sic. In intellectu est ratio qua est intellectus et ratio qua est natura, et similiter est in voluntate. Et secundum hoc alia et alia operatio competit eis, videlicet operatio essentialis intelligendi et volendi secundum quod est intellectus et voluntas et operatio notionalis generandi et spirandi secundum quod sunt natura, ut iam dictum est in quaestione praecedente. Sed secundum rationem intelligendi prior est in eo ratio qua est natura quam qua est intellectus aut voluntas, quia secundum quod intellectus et voluntas sunt potentiae in natura, et ita quasi determinantes naturaliter rationem naturae. Ergo prior est secundum rationem intelligendi operatio procedens ab eis ut sunt natura quam ut sunt intellectus aut voluntas; et sic idem quod prius.

In contrarium est, quoniam secundum rationem essentialia praecedunt notionalia, ut saepius declaratum est supra.

<SOLUTIO>

Dicendum quod persona Patris ex se, non ab alio sicut nec habet esse ab alio, in se habet omnia essentialia. Propter quod a DIONYSIO «*fontana deitas*» et ab AUGUSTINO «*principium totius divinitatis*» dicitur. Per hoc autem quod existit in actu secundum actus essentialia intelligendi et volendi est in perfecta fecunditate ad primos actus alicuius productivos, cuiusmodi sunt actus notionales productivi personarum infra divinam essentialiam. Et cum necessario ordo quidam sit, secundum supra determinata, actuum essentialium in se et similiter actuum notionalium, quia actio intelligendi quodam modo praevia est ad actum volendi, et actio dicendi ad actionem spirandi, ideo Pater per hoc quod est primo in actu existens secundum actum intelligendi, ratione suae primitatis quasi primo est in perfecta fecunditate ad primum actum notionalem qui est generare seu dicere, qui procedit a Patre sic existente in actu per actum intelligendi essentialem, et secundum hoc actus notionalis generandi seu dicendi fundari dicitur in actu essentiali intelligendi et ordine quodam rationis quasi praesupponit ipsum. Et sicut hoc ita se habet de actu generandi et intelligendi respectu Patris et intellectus paterni, similiter se habet de actu spirandi et volendi respectu Patris et Filii et voluntatis utriusque.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «*actus essentielles communes sunt* tribus personis», dicendum quod verum est, ordine tamen quodam rationis, licet simul aeternitate et similiter ordine quodam rationis per actus notionales producuntur Filius et Spiritus Sanctus, et ab ipsis sunt actus essentielles. Actus enim essentielles intelligendi et volendi dupliciter possunt considerari: uno modo simpliciter et absolute; alio modo ut diversis personis conveniunt sub diversis proprietatibus. Primo modo omnia essentialia secundum formam et rationem qua sunt essentialia, ordinem quendam rationis, secundum supra determinata, habent ad personalia, quia personalia in essentialibus fundantur. Secundo autem modo essentialia ordine quodam rationis diversis personis conveniunt, in quantum Patri conveniunt quasi primo quia ex se, et Filio secundo quia a Patre, et Spiritui Sancto tertio quia ab utrisque, licet simul in aeternitate. Et secundum hoc aspiciendo ad diversas personas diversum ordinem rationis habent actus essentielles intelligendi et volendi ad notionales generandi et spirandi. Intelligere enim et velle, ut Patris sunt, quasi praevia sunt ad generare et spirare. Ut autem sunt Filii, secundum rationem intelligendi quasi praecedunt actus notionalis generandi actus essentielles intelligendi et volendi, qui tamen ut communiter sunt Patris et Filii, praevisi sunt secundum rationem respectu actus spirandi, et actus spirandi quasi praevisi respectu actuum essentialium intelligendi et volendi ut sunt Spiritus Sancti. Et sic ad declarationem quaestionis et dissolutionem rationis dicendum est quod actus notionales generandi et spirandi non fundantur in actibus essentialibus intelligendi et volendi, ut simpliciter considerantur, sed solum secundum quod habent esse in determinata persona. Actus enim generandi non fundatur super actum intelligendi nisi ut specialiter Patris est, quia in ipso non radicitur fecunditas generativa nisi secundum quod habet esse sub proprietate primitatis Patris; similiter neque actus spirandi super actum volendi nisi ut est communiter Patris et Filii, quia in ipso non radicitur fecunditas spirativa nisi secundum quod habet esse sub communi ratione principii quam habent Pater et Filius respectu Spiritus Sancti. Unde super actum intelligendi, ut Filii est aut Spiritus Sancti, nullo modo fundatur actus generandi; neque super actum volendi, ut est Spiritus Sancti, actus spirandi. Aliter enim sequeretur inconvenientia conclusa in argumento, ut patet inspicienti.

Ad secundum quod «*ratio qua intellectus vel voluntas est natura, prior est quam sit ratio qua est intellectus vel voluntas*» etc., dicendum quod cum, secundum superius determinata, intellectus et voluntas sunt in Deo

quasi quaedam potentiae. Potentia autem comparatur ad duo: et ad subiectum in quo radicitur et ad actum qui per ipsam elicitur. Intellectus ergo et voluntas in Deo possunt considerari in comparatione ad quasi subiectum vel ad actum. Si primo modo, sic intellectus et voluntas in Deo sunt naturae quaedam, quia potentiae Dei naturales fundatae naturaliter in eius essentia divina quae est natura in eo quod est res quaedam naturalis. Et loquendo de ista naturalitate, verum est quod prior est ratio qua intellectus est natura quam qua est intellectus; et similiter qua voluntas est natura quam qua est voluntas, quia in essendo tali modo, scilicet natura conveniunt, ratione scilicet unitatis quam habent in subiecto. Sed de isto modo naturae nihil ad propositum, quia secundum istum modum naturae non sunt principia elicitiva aliquorum actuum, quia nec ad actus omnino comparantur, ut dictum est.

Si vero considerentur secundo modo, scilicet secundum comparari ad actus, sic adhuc alia est ratio in eis quae sunt intellectus et voluntas, alia vero qua sunt natura, secundum quod dupliciter ad duplicem actum comparantur: ad unum ut sunt intellectus et voluntas, ad alium vero ut sunt natura. Est enim in Deo huiusmodi potentiarum duplex actus: unus qui proprie dicitur operatio quo perficiuntur in se ipsis absolute; alter qui proprie dicitur actio quo perficiuntur in comparatione ad alium. Actus quibus intellectus et voluntas perficitur primo modo sunt actus essentielles, intelligere scilicet et velle; actus vero secundo modo sunt actus generandi et spirandi. Primi actus conveniunt intellectui et voluntati secundum rationem qua sunt intellectus et voluntas. Secundi vero conveniunt eisdem secundum rationem qua sunt natura, hoc est principia activa naturaliter actus productivos personarum elicentia. Intellectus enim ut intellectus perficitur absolute in cognoscendo verum, et voluntas ut voluntas perficitur absolute in volendo bonum. Sed intellectus ut natura perficitur in dicendo verbum; voluntas vero ut natura perficitur in spirando amorem mutuum. Et sic in comparatione ad alium, tam ex parte intellectus quam ex parte voluntatis, patet differentia horum actuum ex parte intellectus in exemplo corporali, et per idem intelligatur ex parte voluntatis a simili. Sigillum enim habens in se figuram, si intellectualis naturae esset, ratione qua intellectus esset, perficeretur specificando in se figurationem suam, et in hoc sisteret. In quantum autem natura est, similem figuram se ipso materiae imprimeret, et si possibile esset in eadem materia in qua figura sua est. Per hunc modum quodam modo intellectus divinus perficitur actu intelligendi se ipsum et suam essentiam, et hoc quasi ab ipsa essentia cognita, quae sub ratione obiecti cognoscibilis in intellectu suam notitiam agit.

Intellectus autem divinus, ut specialiter est in Patre perfectus per talem actum intelligendi suam essentiam quem ipsa esse operatur in ipso intellectu suo ut est quasi in potentia ad notitiam essentialem, secundum rationem intelligendi fecundus est naturali fecunditate ad producendum de se ipso sibi similem ad quem est quasi in potentia, per hoc quod est in actu sub illa notitia essentiali. Intellectus enim, ut est quaedam notitia essentialis secundum actum, est natura et principium activum quo Pater de intellectu eodem ut est intellectus purus et tantum intellectus et de principio passivo format notitiam quae est Verbum, quod secundum rem est eadem notitia cum illa de qua formatur, differens solum ab illa in quantum processerit ab ea ut manifestativa et declarativa illius, ut saepe dictum est. Et per omnem eundem modum intelligere debemus verbum formari in nobis. Cognitum enim primo simplicem notitiam suam imprimit nostro intellectui, repraesentando se illi ut pure passivo et sub ratione qua est intellectus. Intellectus autem sic perfectus simplici notitia per obiectum cognitum quod in se continet expressive, factus est fecundus et principium activum ut natura in se ipsum ut est intellectus tantum, et principium passivum ad formandum in se declarativam notitiam de notitia simplici. Ut secundum hoc quando dicitur verbum formari per intellectum, et quod intellectus sit in formatione verbi activus, hoc intelligitur de intellectu actu informato simplici notitia. Per hoc enim est principium et necessario prior est ratio eius qua est intellectus, et passivus quam qua sic est natura et activus. Et ideo ordine rationis prius habet esse ut est intellectus quam ut est natura, et fundatur actus notionalis quem agit ut est natura super actum essentialem quem patitur ut intellectus.

Et sicut exposita sunt ex parte intellectus in actu dicendi et formatione verbi, sic intelligantur ex parte voluntatis in actu spirandi et productione amoris spirati, propter hoc quod intellectus passivus est respectu actus intelligendi qui convenit ei ut est intellectus, activus vero respectu actus dicendi qui convenit ei ut est natura. Voluntas vero respectu utriusque actus et volendi et spirandi activa est, ut sic et actus dicendi et actus spirandi sint actus et emanationes naturales et modo naturae.

Est tamen in hoc aliqua differentia in producendo modo naturae ex parte actus dicendi et spirandi, quia utraque processio est secundum naturae operationem et modo naturae. Est tamen unus eorum principalior altero, quia actus dicendi procedit secundum principialem modum procedendi modo naturae, secundum RICARDUM VI^o De Trinitate cap.^o 2^o, 8^o et 9^o, ut ideo actus dicendi et spirandi dicantur necessarii in Deo, non solum necessitate immutabilitatis qua impossibile est eum

aliter se habere — tali enim necessitate insunt Deo quaecumque ei insunt, sicut sunt essentialia sive notionalia aut personalia — sed etiam necessitate naturalitatis qua impossibile est Deum per principium, quod est natura in ipso, huiusmodi actus non elicere; et per idem principium eisdem actibus de sua substantia manens in ea non producere, ut secundum hoc huiusmodi actus procedunt secundum naturae operationem, quia a principio quod est natura eliciuntur et modo naturae, quia modo necessitatis naturalis. Quomodo autem actio dicendi est secundum principaliores modum naturae et modo intellectus sive intellectualis operationis, actio autem spirandi non secundum principaliores modum naturae et modo voluntatis sive voluntariae operationis, infra declarabitur.

ARTICULUS 55

DE PROPRIETATIBUS PERSONARUM IN GENERALI SECUNDUM SE

Habito de ipsis personis sequitur de ipsarum proprietatibus quae communiter notiones dicuntur. Et primo de ipsis in generali; secundo in speciali secundum quod proprie singulis personis conveniunt. Et circa primum duo quaeruntur: quorum primum est de ipsis secundum se; secundo de eisdem in comparatione ad ipsas personas.

Circa primum istorum quaerenda sunt sex, quorum primum est utrum in personis divinis sit ponere proprietates personarum; secundum est utrum plures; tertium utrum tantum quinque; quartum utrum omnes

sint notiones; quintum utrum sint relationes; sextum utrum omnes sint relationes reales.

QUAESTIO 1

UTRUM IN PERSONIS DIVINIS SIT PONERE PROPRIETATES PERSONARUM

Circa primum istorum arguitur quod in divinis non sit ponere aliquas proprietates personarum primo sic. Proprietas semper est aliquid extra intellectum eius cuius est proprietas, ut risibile est aliquid extra intellectum hominis; contingit enim intelligere hominem, non cointelligendo risibile. Sed in divinis nihil est quod est extra intellectum personarum, quia in divinis, secundum superius determinata, non sunt nisi substantia et relatio, et ambo sunt de intellectu personae, ut inferius patebit. Ergo etc.

Secundo sic. Proprietas non constituit in esse id cuius est proprietas, quemadmodum risibile non constituit hominem in esse hominis; paternitas, filiatio et huiusmodi constituunt personas in esse personarum; ergo non sunt proprietates earum. In divinis autem non dicuntur verius proprietates quam ista, ut infra patebit. Ergo etc.

Tertio sic. In simplicibus nulla est differentia inter abstractum et concretum nisi in modo significandi, ut inter albedinem et album, quia *album*, secundum PHILOSOPHUM, solam *qualitatem significat* sicut et albedo. Sed in divinis persona aequae simplex est et essentia, ut iam

patebit inferius. Nulla est ergo differentia inter Patrem et paternitatem, inter Filium et filiationem, nisi in modo significandi tantum. Sed inter proprietatem et id cuius est proprietas, necessario est alia differentia quam in modo significandi tantum. Ergo paternitas et filio non sunt proprietas Patris et Filii. Sed praeter haec et consimilia in divinis non sunt aliae proprietates personarum. Ergo etc., ut prius.

In contrarium est illud DAMASCENI, libro I^o cap.^o 10^o: «*Propter Patrem habent Filius et Spiritus Sanctus omnia quaecumque habent, hoc est quia <Pater> habet ea praeter ingenerationem et generationem et processionem. In his enim solum hypostaticis proprietatibus ad invicem differunt*». Et cap.^o 11^o: «*Quoniam secundum omnia unum sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus praeter ingenerationem, et generationem et processionem. Unum enim Deum cognoscimus in solis proprietatibus paternitatis et filiationis et processionis, et secundum existentiae modum differentiam intelligimus*».

<SOLUTIO>

Dicendum quod in eis quorum natura occulta est, priusquam sciatur an sint, oportet scire quid sit quod significatur per nomen, ut dicit COMMENTATOR super capitulum De vacuo, IV^o P H Y S I C O R U M . Occulte autem valde habent esse proprietates in divinis, cuius signum est multiplicitas errorum circa ipsas. Prius ergo oportet hic videre quid nomine proprietatis significari intelligimus, et ex hoc demum an tale quid et quomodo in Deo intelligere debemus. Est igitur sciendum, secundum quod AMBROSIIUS determinat in libro De i n c a r n a t i o n e : tam in creaturis quam in divinis quaedam sunt vocabula quae exprimunt naturam, ut homo, leo, Deus; quaedam vero exprimunt naturae modum aliquem aut qualitatem, large accepta qualitate. Nam, ut dicit, «in divinis *significatorium generantis et geniti exprimit substantiae qualitatem*». Sed sciendum quod talium qualitatum quaedam sunt substantiae ut substantia est, ut sunt bonitas, veritas et huiusmodi, quae in divinis dicuntur attributa; quaedam vero suppositi, et illa sunt quae appellantur proprietates. Et secundum hoc dicendum quod in divinis oportet ponere proprietates sicut et attributa.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «*proprietas est aliquid extra intellectum eius cuius est proprietas*», dicendum quod verum est quando proprietas

idem est quod proprium quintum universale; sic autem non sumitur hic, ut dictum est.

Ad secundum quod *«proprietas non constituit in esse id cuius est proprietate»*, respondendum est eodem modo.

Ad tertium quod *«in simplicibus non est differentia abstracti et concreti nisi in modo significandi»* etc., propter hanc rationem magister PRAEPOSITINUS, attendens divinam simplicitatem, dixit nullam proprietatem ponendam esse in divinis, sic inquires: *«Innotuit diversas esse opiniones de proprietatibus. Quidam enim paene infinitas constituunt ut magister Gilbertus; quidam sex ut magister Radulphus, quidam tres ut magister Robertus, quidam nullam; in qua sententia dicitur fuisse diu magister Ivo Carnotensis, et huic opinioni consentimus»*. Et omnes auctoritates et propositiones in quibus insinuantur quod proprietates sunt in divinis, exponit ponendo in ipsis poni abstractum indicans proprietatem, sive nomine communi quod est proprietate, sive nomine proprio quod est paternitas aut filiatio, pro concreto indicante personam sic inquires: *«Cum dicimus paternitas est in Patre, vel Pater paternitate distinguitur a Filio, modi loquendi sunt, et est sensus 'paternitas est in Patre', id est Pater est Pater, sicut cum dico "rogo dilectionem tuam", id est te dilectum»*. *«Cum dicimus "Pater generat Filium", idem praedicatur de se, quia is est sensus "Pater est Pater Filii", sive a Patre est Filius»*.

«Sed contra hoc», ut dicit, *«videntur clamare omnes auctoritates. Nam AUGUSTINUS dicit: «proprium est Patri generare, proprium est Filio generari et Spiritui Sancto proprium est procedere»*. Similiter *«alia est proprietate qua Pater generat, alia qua Filius generatur, etc. Auctoritas sic intelligenda est: proprium est Patri generare, id est solus Pater generat, et sic etiam in aliis»*.

«HILARIUS: «proprium est Patri quod sit Pater, proprium est Filio quod sit Filius, proprium est Spiritui Sancto quod sit Spiritus Sanctus»; ergo *«alia est proprietate, etc. Haec auctoritas exponatur ut praemissa: «solus Pater est Pater, etc.»*».

«Item», AMBROSIIUS: *«in personis proprietate, in essentia unitas»*, etc. *Dicimus quod auctoritas illa sic exponenda est: in personis proprietate, id est personae quae sunt distinctae, et sunt unum in essentia et aequales in maiestate adorentur»*.

«HIERONYMUS: «Confitemur non tantum nomina, sed etiam nominum proprietates». Sed si diligenter attendatur, apparet quod non dixit *«confitemur proprietates personarum»*, sed *«nominum»*, et proprietate dici solet eius significatio. Est ergo sensus: *«confitemur non tantum nomina sed etiam proprietates nominum»*, id est *«significationes quae sunt autem significationes nominum, exponit cum addit, id est personas»*.

Sed *«IOANNES DAMASCENUS magis videtur esse contrarius qui ait: «Idiomata sunt characteristic hypostaseon et non naturae, id est proprietates determinativae sunt personarum et non naturae. Item IOANNES: «singula hypostaseon proprium existendi modum possidet»*, sic respondemus idiomata etc., id est

personae ad invicem distinguuntur, sed non natura ab aliqua earum. «Quaelibet persona proprium existendi modum possidet», id est quaelibet persona est una substantia, ita quod non alia.

Respondet etiam rationi qua obicitur contra ipsum sic inquires: «*Sed obicitur nobis sic: nulla proprietate Pater distinguitur a Filio nec Filius a Patre, et Pater est idem in essentia cum Filio, ergo Pater est Filius. Instantia: nullo accidente distinguitur Pater a Filio nec Filius a Patre, et Pater est idem cum Filio in essentia; ergo Pater est Filius*». Et intendit quod se ipsis distinguuntur sicut simplicia. «*Aliter enim esset processus in infinitum*». Unde subdit: «*Quaeritur a nobis: si personae non distinguuntur proprietatibus, quo distinguuntur? Ad hoc dicimus quod se ipsis distinguuntur. Dicit enim Hieronymus: personae se ipsis et nominibus distinguuntur; ergo Pater se ipso distinguitur a Filio et Spiritu Sancto, et sic de aliis*». Et adducit pro se unam rationem dicens: «*sed quaeritur ab illis utrum illa proprietas qua Pater distinguitur a Filio sit substantialis, et si hoc, ergo Pater substantialiter distinguitur a Filio, ergo non est eiusdem substantiae cum Filio*».

Revera PRAEPOSITINUS bene vidit quod proprietates, quae propriissime sunt proprietates in divinis, non habent poni nisi propter necessitatem distinguendi personas ab invicem. Unde qui imaginantur tantum unam personam in Deo, ut Iudaei et Gentiles, non necesse habent ponere aliquas proprietates in illa. Idcirco postquam negavit proprietates esse in divinis, necesse habuit ponere quod personae divinae se ipsis distinguantur. Aliter enim ponendo eas distingui, necesse erat eas ponere distingui aliquibus quae sunt earum aliquid, quae non nisi proprietates, ut dictum est, habent appellari. Unde dicit AMBROSIIUS in principio De Trinitate: «*Non ipse Pater qui Filius, sed inter Patrem et Filium generationis expressa distinctio est*», ut scilicet proprietate generationis activae et passivae distinguuntur.

Sed quod personas divinas non possumus ponere se ipsis distingui nisi pro tanto quod distinguuntur per aliquid sui, hoc efficacissime apparet quadruplici ratione contra PRAEPOSITINUM quibus apparet error fore in dicto eius, et quod necessario oportet ponere proprietates esse in Deo. Quarum prima talis est: quaecumque simplicia se ipsis differunt, differunt omni eo quod est sui; aliter enim differrent aliquo quod est sui et aliquo non differrent. Quaecumque autem sic differunt omnino differunt et in nullo conveniunt, quemadmodum differunt genera praedicamentorum substantiae et accidentis. Si ergo sic differrent divinae personae, omnino differrent et in nullo convenirent. Consequens falsum est, ergo et antecedens.

Secunda talis: simplex quodlibet quod se ipso secundum totum non aliquo sui differt ab aliis simplicibus, eo penitus quo differt ab uno,

et ab altero. Si ergo hoc modo differrent inter se personae divinae tres, tunc Pater eo penitus quo differt sive distinguitur a Filio, differt sive distinguitur et a Spiritu Sancto. Quare cum divinae personae non distinguuntur aliquo absoluto, quia tunc differrent in substantia et natura, sed solum aliquo relativo. Una ergo et eadem relatione differret Pater a Filio et Spiritu Sancto; quod si sic, ergo et e converso Filius et Spiritus Sanctus una et eadem relatione differrent a Patre et essent una et eadem persona, cum in divinis personas non multiplicat nisi relatio. Quod autem una relatione Filius et Spiritus Sanctus differrent a Patre, si Pater una relatione differret ab ambobus patet, quia ea relatione qua aliqua differrent ab aliquo et referuntur ad illud, et omnia relativa eisdem relationibus ad invicem referuntur quibus ad invicem opponerentur. Si autem una est relatio qua Pater refertur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, et similiter una est relatio saltem secundum speciem qua ambo referuntur ad Patrem. Quia enim ratio relationis consistit in hoc quod est ad aliud se habere, ad unum autem secundum relationem unam specie non possunt referri plures secundum plures relationes specie differentes, quemadmodum ad Patrem unum, qui est Pater una relatione secundum speciem quae est paternitas, non possunt referri plures secundum plures relationes specie differentes, cuiusmodi sunt filiatio et servitus.

Tertia ratio talis est: si personae divinae se ipsis secundum totum differunt inter se, aut ergo illud est absolutum aut respectivum. Non absolutum, quia tunc, ut prius, differrent in absolutis. Non respectivum, quia tunc divinae personae non essent nisi quidam respectus, quod est contra illud AUGUSTINI De Trinitate: «*Omne quod relative dicitur aliquid est, praeter hoc quod ad aliud dicitur*». Et cum Pater et Filius eodem respectu referuntur ad Spiritum Sanctum, eadem persona omnino essent Pater et Filius sicut et sunt unum principium Spiritus Sancti.

Ex quo sumitur quarta ratio ad idem quam inducit contra se PRAEPOSITINUS talis: Si Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti sed non sunt unum in persona, ergo sunt unum in proprietate qua referuntur ad Spiritum Sanctum; et ideo in Deo est ponere proprietatem, et si unam, eadem ratione et plures. Et respondet PRAEPOSITINUS dicens quod ideo «*unum sint principium Spiritus Sancti quia uno modo spirant*». Quod non valet ei ad suum propositum, quia non spirarent eodem modo nisi esset aliquid idem in eis quo differrent a Spiritu Sancto quod non potest esse nisi proprietas, quia ratione substantiae communis non sunt unum principium spirativum; aliter enim ipse Spiritus Sanctus spiraret.

Ad argumentum ergo tertium principale supra inductum quod «*in simplicibus non differunt abstractum et concretum nisi in modo significandi*», dicendum quod est quoddam simplex in quo non est nisi pura unitas significata, et nullo modo aliquorum pluralitas, qualis significatur hoc nomine 'Deus' vel hoc nomine 'sapientia'. Est vero aliud simplex in quo aliquo modo est significata pluralitas, non tamen repugnans simplicitati, ut in hoc nomine 'persona' vel 'Pater' aut 'Filius' aut 'Spiritus Sanctus'. De simplici primo modo bene procedit obiectio, sed tale simplex non est persona in divinis, sed secundo modo. Et de illo non est verum quod abstractum et concretum non differant nisi in modo significandi. Immo differunt et in significato, quia abstractum significat aliquid eius quod significat concretum, ut illud a quo nomen quasi formaliter imponitur, quod est ipsa proprietas. Concretum vero cum hoc etiam significat ipsam substantiam communem, ut infra patebit. Et secundum hoc quia proprietas cadit quasi formaliter in significato personae, ipsa est substantialis personae secundum quod substantiale distinguitur contra accidentale. Non tamen ex hoc sequitur quod sit substantia neque quod substantialiter, hoc est secundum substantiam una persona distinguatur ab alia. Bene tamen potest dici quod substantialiter ex opposito ei quod est distingui accidentaliter. Et sic non valet ratio quam pro se inducit PRAEPOSITINUS.

Quod autem ponit PRAEPOSITINUS quod omnes praedicationes quae videntur insinuare proprietates esse in Deo, debent exponi emphatica locutione ponendo abstractum pro concreto, non est verum. Si enim secundum quod dicit «idem est dicere *paternitas est in Patre* aut Pater generat, quod *Pater est Pater*», tunc similiter idem esset dicere "Pater generat" et similiter "Pater spirat quod Pater est". Quare cum Patrem esse Patrem semper est idem, et «*quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem*», idem ergo esset dicere "Pater generat" et "Pater spirat", et per consequens eadem esset persona generata et spirata, quod falsum est. Aliter hoc improbat MAGISTER, I^o Sententiarum, distinctione 26^a cap.^o 'Hic quaeri potest'.

Similiter quod dicit «quod idem est dicere *proprium est Patris generare et quod solus Pater generat*» non est verum, licet unum concomitatur alterum. Non enim solus generaret nisi solus haberet proprietatem quae est ad generare. Auctoritatem AMBROSII forte bene exponit, quia nihil in divinis est adorandum nisi ratione deitatis. Propter quod et unica adoratione Trinitas est adoranda. Sed de hoc nihil ad praesens; nec obstat quin proprietates sint in divinis, etsi ex hoc adorandae quod radicanter in essentia deitatis et divinas personas constituunt. Et quod dicit attendendum in auctoritate HIERONYMI quod «*non dicit proprietates personarum*

sed nominum», non oportet quod plane exprimit HIERONYMUS in principio auctoritatis sic inquires: *«exceptis vocabulis quae proprietatem indicant personarum, quidquid de una persona dicitur de tribus potest intelligi»*, et *«ita impietatem Sabelii declinantes tres personas expressas sub proprietate distinguimus»*. Et sic proprietates sunt personarum, ut constituentes et distinguentes eas, et sunt nominum ut a quibus nomina quasi formaliter imponuntur, quas tamen solas non significant nomina, sed cum substantia communi, quae ambo includuntur in significato personae. Propter quod addit, *«id est personas»*, non quia persona significetur per nomen et non personae proprietas, ut vult PRAEPOSITINUS. Unde et MAGISTER SENTENTIARUM, libro I^o distinctione 25^a cap.^o ultimo illa auctoritate probat quod persona ibi stat pro proprietate; et distinctione 26^a cap.^o ‘Quocirca’.

Dictum autem DAMASCENI, libro III^o cap.^o 6^o, manifeste exponit contra intensionem litterae quae sic iacet. *«Neque differunt ab invicem hypostases secundum substantiam sed secundum accidentia, quae sunt characteristicae, id est designativae, idiomata characteristicae vero hypostaseos et non naturae. Etenim hypostasim determinant, subiecta cum accidentibus. Quare quod commune est cum proprietatibus habet hypostasis, id est persona»*. Appellat autem largissimo nomine accidentia ipsas proprietates. Ecce quam plane non intendit per haec verba solum *«personas inter se esse distinctas, et non naturam a personis»*, ut dicit PRAEPOSITINUS, sed quod personae distinctae sunt inter se secundum proprietates, et non secundum substantiam, quae proprietates determinativae sunt substantiae non naturae, ut infra declarabitur, ita quod persona in suo significato et substantiam et proprietatem contineat.

Et quod dicit in expositione secundae auctoritatis de libro III^o cap.^o 5^o quod *«quaelibet persona proprium modum existendi possidet, id est quaelibet persona est una substantia ita quod non alia»*, manifeste est contra illud DAMASCENI, libro I^o cap. 11^o: *«Secundum omnia unum sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus praeter ingenerationem et generationem et processionem. Unum enim Deum cognoscimus, in solis vero proprietatibus et paternitatis et filiationis et processionis et secundum causam et causales, quia Pater est causa, et Filius ex hac causa et Spiritus Sanctus, et secundum perfectitudinem hypostaseos, scilicet existentiae modum, differentiam intelligimus»*. Ecce quia per illud quod dicit *«quaelibet persona proprium modum existendi possidet»*, non intelligit quod quaelibet persona est substantia deitatis et non alia, sed quod quaelibet persona habet proprium modum existendi, hoc est subsistendi secundum suam proprietatem, scilicet ut a qua alia, vel quae ab alia, vel quae ab aliis.

Et secundum hoc in divinis usitatur triplex modus interrogandi sive praedicandi qui sunt: ‘per quid’ qui respicit substantiam, ‘per qui’ qui respicit personam, ‘per quomodo’ qui respicit proprietatem. Sed ‘qui’ et ‘quomodo’ reducuntur ad unum modum, scilicet relationis, quia ‘qui’ respondet ei quod refertur, ‘quomodo’ respondet ei quo refertur, sive nominaliter sive participialiter significetur.

Et quod arguit PRAEPOSITINUS quod non sequitur «personae non distinguuntur proprietatibus, ergo non distinguuntur, sicut non sequitur non distinguuntur accidentibus, ergo non distinguuntur», dicendum quod non est simile, quia in eis quae distinguuntur secundum accidentia, restat alia distinctio quae est secundum substantiam. Propter quod non sequitur “si aliqua non distinguuntur secundum substantiam, quod non distinguuntur”. In divinis autem personis praeter distinctionem secundum proprietates non restat alia distinctio, ut visum est. Et ideo bene sequitur “non distinguuntur secundum proprietates, ergo non distinguuntur”.

QUAESTIO 2

UTRUM IN PERSONIS DIVINIS SIT PONERE PLURES PROPRIETATES PERSONARUM

Circa secundum arguitur quod in Deo non sit ponendum plures esse proprietates primo sic. Proprium sequitur formam et speciem rei sive rationem speciei et formae, sicut accidens sequitur rationem individui. Sed in divinis non est nisi una forma deitatis; ergo neque nisi unum proprium sive una proprietas.

Secundo sic. Plures proprietates non possunt esse nisi secundum eandem rationem speciei aut secundum diversas. Neutro autem modo possunt poni diversae proprietates in divinis, quia neque istae neque illae natae sunt esse circa idem numero, quemadmodum neque duae albedines neque nigredo et albedo. Quaecumque autem sunt in divinis habent esse circa idem numero, ut circa divinam essentiam. Ergo etc.

In contrarium est quoniam non est proprietas in Deo nisi propter personarum pluralitatem, ut habitum est iam supra. Sed plurium personarum necessario sunt plures proprietates. Ergo etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod plures proprietates necesse habemus ponere in Deo circa personas, quia plures qualitates secundum praedictum modum inveniuntur denominantes eas, ut iam in sequente quaestione declarabitur.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «*proprietas sequitur formam et speciem rei*» etc., dicendum quod est quaedam proprietates absoluta et illa non est nisi unica in una forma et specie, et hoc loquendo stricte de proprio sive de proprietate, quemadmodum ponimus solum risibile esse proprium hominis. Unde et huiusmodi proprium saepe ponitur in descriptione rei cum eius forma specifica ignoratur. Alia vero est proprietates respectiva, et illa in eadem forma et specie bene potest esse multiplex, quia non tam sequitur essentiam formae quam modum habendi illam et subsistendi in illa, ut iam videbitur. Talis autem est proprietates personae in divinis, de qua loquimur, ut infra patebit.

Ad secundum quod «*plures proprietates neque eiusdem speciei neque diversae possunt esse circa idem numero*» etc., dicendum quod verum est de proprietatibus absolutis, ut circa subiectum cui inhaerent. Et sic in Deo nulla est omnino proprietates circa divinam essentiam, dicente RICARDO IV^o De Trinitate cap. 16^o: «*Proprium est omni substantiae quae vere nomen habet ex se, habere quidem esse compositum et accidentibus subesse. Sola autem divina substantia habet simplex esse et nulli inhaerenti subiectum*». Circa vero idem numero, ut circa fundamentum in quo fundantur bene possunt esse diversae proprietates relativae propter diversum modum habendi illud idem, ut non ab alio, ut a quo alius et huiusmodi, ut iam patebit.

QUAESTIO 3

UTRUM IN PERSONIS DIVINIS SIT PONERE TANTUM QUINQUE PROPRIETATES

Circa tertium arguitur quod in Deo non sunt plures proprietates duabus, quia non est proprietates in Deo nisi ex modo habendi unam personam ad aliam, quia nulla est absoluta, ut infra dicitur. Sed in divinis solum sunt duo modi habendi personam unam ad aliam, scilicet 'ut a qua' et 'ut quae ab alia', ut patet ex supra determinatis. Ergo in divinis sunt solum duae proprietates.

Quod sint tantum tres dicit RICARDUS, V^o De Trinitate cap.^o 25^o: «*Iuxta numerum proprietatum erit numerus personarum, et sicut quartam proprietatem sic quartam personam nullatenus invenire poterimus*».

Quod sint tantum quatuor arguitur, quia non est proprietas in Deo nisi sit relativa, ut infra videbitur. Et similiter non est relatio in Deo nisi sit proprietas. Est enim proprietas in re quidquid est in ea praeter substantiam suam. Sed in Deo tantum sunt quatuor relationes secundum duas emanationes, ut patet ex praedeterminatis. Ergo etc.

Quod autem sint plures quam quinque et quasi infinitae arguitur ex eo quod dicit AMBROSIUS, II^o De Trinitate in principio: «*Proprietates sunt generatio, Deus, Filius, Verbum, similitudo, character, splendor, virtus, veritas, vita*» et cetera huiusmodi, quae sunt circa solum Filium; et plurima alia sunt circa Patrem, ut ingenitum, primum principium et huiusmodi; et plurima circa Spiritum Sanctum, ut amor, donum et huiusmodi. Item, plurima circa tres communiter, ut aequalitas, similitudo et huiusmodi, quae sunt quasi infinita. Quare etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod proprietas quadrupliciter dicitur in divinis: largissime, large, stricte et strictissime. Largissime in divinis proprietates appellantur quaecumque habent considerari circa personas, quemadmodum attributa appellantur quaecumque habent considerari circa divinam essentiam, et sic loquitur AMBROSIUS De Trinitate in assumpta auctoritate. Et hoc modo loquendo de proprietatibus dicit PRAEPOSITINUS quod «*quidam paene infinitas in Deo constituunt proprietates. Dicunt enim quod quaedam proprietates sequuntur secundum essentiam ut aequalitas, coaeternitas, similitudo, quaedam vero secundum hypostasim, ut paternitas, filiation*» et huiusmodi. Hoc etiam modo omnia divina attributa essentialia possunt dici proprietates, iuxta illud PHILOSOPHI qui dicit de numero ternario in principio Caeli et Mundi: «*Secundum hunc numerum adhibuimus nos magnificare unum Deum eminentem proprietatibus eorum quae sunt*».

Large autem loquendo, ut dicit idem PRAEPOSITINUS, «*magistri nostri dicunt quinque solummodo esse proprietates: duas in solo Patre quae sunt paternitas et inascibilitas, unam in solo Filio scilicet filiationem, unam in Spiritu Sancto scilicet passivam productionem, et unam in duobus communiter scilicet in Patre et Filio quae dicitur spiratio activa*».

Stricte autem loquendo proprietates non sunt nisi quatuor, quia spiratio activa eo quod communis est duobus et nulli propria, proprie proprietas non dicitur.

Strictissime autem proprietates non sunt nisi tres, quae sunt paternitas, filiatio et spiratio passiva, eo quod solummodo sunt constitutivae et distinctivae personarum ab invicem. Unde et non sunt nisi secundum numerum personarum, dicente RICARDO III^o De Trinitate cap. 16^o: «*Pluralitas personarum manifestat quod in illa Trinitate proprietatum differentia non potest deesse*». Et cap.^o 17^o: «*In Trinitate absque dubio oportet tot personales proprietates esse quot sunt personae*». Et libro V^o cap.^o 15^o: «*Proprietatum autem distinctio versatur circa duo: constat enim in dando et accipiendo. Unius enim proprietas consistit in solum dando, alterius in solum accipiendo; inter has autem media tam in dando quam in accipiendo*». Et quia istae tres proprietates solae constituunt et distinguunt personas, ideo «*proprietates personales dicuntur*», ut dicit PRAEPOSITINUS, non autem solum proprietates personae, cum reliquae omnes dicuntur proprietates personarum tantum.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum quod «*in divinis non sunt nisi duo modi se habendi*» etc., dicendum quod verum est communes tamen et generales sub quibus alii speciales continentur, quia modus habendi ut ‘a quo alius’ necessario ponit modum se habendi ‘ut a nullo’. Aliter enim ex parte quasi anteriori procederetur in infinitum, ut semper ille a quo est alius, esset ab aliquo alio. Et sic etiam modus non essendi ab alio includitur in modo ‘a quo alius’, et ille continet duos, quorum unus est per generationem, alter vero per spirationem activam. Similiter modus ‘qui ab alio’ continet duos, unum per generationem, alium per spirationem passivam. Et sic ad illos duos modos alii quinque reducantur.

Ad secundum quod «*sunt tantum tres*», dicendum quod verum est personales sive personarum constitutivae per quod tamen non excluduntur aliae duae, ut tactum est et inferius magis patebit.

Ad tertium quod «*in divinis non sunt nisi quatuor relationes*, quare nec nisi quatuor proprietates», dicendum secundum iam dicta verum est positive dictae, et quae sumuntur secundum hypostases; praeter has tamen est una negativa significata nomine innascibilis et similiter plures aliae quae sumuntur secundum essentiam, de quibus infra erit sermo.

Ad ultimum quod «*sunt plures et quasi infinitae*», dicendum secundum iam dicta quod verum est largissime loquendo de proprietate.

QUAESTIO 4

UTRUM IN DEO OMNES PROPRIETATES SINT NOTIONALES

Circa quartum arguitur quod omnes proprietates sunt notionales primo sic. Illud est notio quo res innotescunt. Sed qualibet proprietate persona divina nobis innotescat, quia secundum AMBROSIUM sunt quasi quaedam qualitates, et secundum DAMASCENUM quasi quaedam accidentia, ut patet ex praedictis. Et talia, secundum PHILOSOPHUM I^o De anima: «*<accidentia> maximam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est*». Ergo etc.

Secundo sic. Essentialius conveniunt Deo proprietates per quas personae respiciunt sese mutuo quam illae per quas respicit Deus creaturas, quia et illae verius dicuntur notiones personarum quam istae deitatis. Sed illae notiones sunt per quas nobis essentialia deitatis innotescunt, cuiusmodi sunt esse creatorem, esse gubernatorem, et huiusmodi. Ergo etc.

In oppositum arguitur primo quod nulla proprietas sit notio, cum enim notio non debet dici nisi ratio et principium cognoscendi rem. Tale autem in divinis respectu personarum non est nisi communis essentia a qua habent esse, quia secundum PHILOSOPHUM: eadem est ratio essendi et cognoscendi. Ergo etc.

Secundo quod communis spiratio activa non debet dici notio sic. Illud solummodo debet dici notio quod propriam cognitionem de re manifestat, propter quod de definitione dicit PHILOSOPHUS quod est notificationis gratia. Importat enim propriam notitiam de re, et ideo proprie notio rei dicitur, non autem genus quod communem notitiam de re importat. Sed spiratio activa, quia communis est Patri et Filio, nullam propriam notitiam importat. Ergo etc.

Praeterea. Secundum PHILOSOPHUM, eadem sunt principia essendi et cognoscendi. Sed communis spiratio activa nullius personae est principium essendi, quia non est personae constitutiva. Ergo etc.

Tertio arguitur quod innascibilitas non est notio, quia nihil praeter alias proprietates personales importat nisi negationem. Negatio autem non est per se principium cognoscendi quale debet esse notio in divinis. Aliter enim plures aliae negationes notiones in divinis dici deberent, ut infra magis patebit. Ergo etc.

Quarto arguitur quod generatio passiva et spiratio passiva non possunt dici notiones, quia notio debet esse principium declarandi aliquid dignitatis in eo cuius est notio, quod non faciunt passiva genera-

tio et spiratio, quia dicunt personam esse sed ab alio. Ut licet sit dignitatis ipsum esse, nullius tamen dignitatis est ipsum esse habere ab alio, immo magis videtur esse defectus, quia quod habet aliquis omnino non nisi ab alio, non habet illud ex se, quod est magnae indignitatis. Quare etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod notio multipliciter dicitur. Uno enim modo dicitur aliquid notio formaliter, quia est ipsa cognitio de re omnino impressa menti; sic nihil aliud est quam simplex mentis conceptus in quo res cognoscitur. Alio vero modo dicitur aliquid notio effective, quia facit et causat notitiam rei in mente; et hoc dupliciter. Quia tale aut est aliquid extra rem, ordinem tamen ad rem habens, sic omnis effectus notio potest dici respectu suae causae. Vel aliquid in re, et hoc dupliciter. Vel ut aliquid essentiae rei quo constituitur in esse, et hoc modo definitio et universaliter quod est forma essentialis in re dicitur notio rei; et hoc modo solum tres proprietates personales personarum constitutivae dicendae sunt notiones personarum. Vel ut aliquid virtute existens in eo quo res constituitur in esse, quemadmodum vis motiva omnium universaliter existit in vi motiva primi mobilis et est notio respectu motoris primi mobilis; et hoc modo innascibile sive ingenitum est notio Patris, secundum quod inferius declarabitur loquendo de innascibili. Vel ut aliquid concomitans rem essentialiter in esse constitutam, quemadmodum accidentia sequuntur substantiam et sunt notiones. Et iuxta hunc modum, remoto tamen omni modo accidentalitatis, duplex notio est in divinis personis, quia aut consequuntur personam ratione personae, vel ratione divinae essentiae in ipsa. Primo modo communis spiratio-actio notio est Patris et Filii, ordine enim quodam consequitur fecunditas spirationis generationem, ut habitum est supra. Secundo modo universaliter omnes aliae proprietates quae sunt in personis secundum essentiam sive personarum comparatarum inter se, ut sunt aequalitas, similitudo et huiusmodi; sive singularum personarum secundum se, ut sunt attributa essentialia, notiones dicuntur.

Unde inspiciendo dicta patet quod in proposito solum dicuntur notiones proprietates illae quae sunt personarum constitutivae, aut insunt personis ratione qua sunt personae, non ratione qua sunt essentiae. Et tales sunt solummodo quinque, quarum numerus accipitur sic: cum enim, secundum supra determinata, persona in Deo non est

nisi relativa et hoc secundum rationem originis. Relatio autem secundum rationem originis potest esse vel unius ad unum, quorum unus est a quo alius et alius qui ab alio et unus ab uno, sic sunt duae notiones: una Patris, ut paternitas sive generatio activa qua alius est ab eo; alia vero Filii, ut filiatio sive nascibilitas qua ipse est ab alio. Vel potest esse plurium ad unum qui est ab illis pluribus, et sic est notio communis spirationis activae Patris et Filii. Vel potest esse unius ad plures, et hoc vel unius a quo sunt plures, et sic est notio Patris innascibilitas, ut infra patebit; vel unius qui est a pluribus, sic spiratio passiva est notio Spiritus Sancti.

<AD ARGUMENTA>

Ad dissolutionem quorundam argumentorum distinguendum est hic de notione, sicut supra distinctum est de proprietate, quoniam aliquid potest dici notio largissime, large, stricte, strictissime. Primo modo omnis proprietas divina largissime accepta proprietate potest dici notio, secundum quod procedunt duo prima obiecta. Large autem loquendo de notionibus personarum, non dicuntur nisi quinque proprietates quae sunt in personis secundum ipsas personas, non secundum essentiam communem, ut dictum est. Stricte autem loquendo non sunt nisi quatuor ex illis. Communis enim spiratio activa nullam notitiam personae propriam facit. Stricte autem loquendo non potest dici notio, secundum quod procedit quarta ratio, similiter et quinta. Strictissime autem loquendo non sunt notiones nisi tres personales proprietates. Innascibilitas enim ratione negationis quam importat, notio esse non potest, ut procedit penultima ratio. Ratio autem affirmationis intellectae quidquid dignitatis simpliciter importat, continetur generatione et spiratione, et quoad hoc ad illas reducitur, ut inferius patebit loquendo de innascibilitate.

Ad illud quod assumitur in tertia ratione quod «*nulla proprietas est notio*, quia non est principium essendi in personis, sed solum ipsa *essentia*», dicendum quod in personis et est esse et est ad aliud esse. Primum est ab essentia et est commune tribus. Secundum vero a proprietate et distinguitur secundum distinctionem proprietatum, dicente AUGUSTINO VII^o De Trinitate: «*Substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est sed quo est*». Et sic uno modo principium et ratio cognoscendi personas est essentia, et alio modo proprietas. Sed ista propria est personis secundum quod sunt personae, et ideo proprie dicuntur notiones personarum et non ipsa essentia.

Ad ultimum quod «*generatio et spiratio passive non possunt dici notiones*», dicendum quod in eo quod est ab alio habere esse per generationem aut spirationem, est tria considerare, scilicet ipsum habere esse quod est dignitatis sed commune omnibus, et ideo non dat rationem notionis. Et ipsum simpliciter ab alio habere illud quod non ponit rationem dignitatis neque etiam indignitatis, et ideo etiam non dat rationem notionis. Est et in illo tertium considerare, scilicet habere ab alio esse, sic scilicet per naturalem generationem aut spirationem quae, quia sunt nobiles modi habendi, idcirco dant rationem notionis. Quomodo autem sunt nobiles modi habendi, satis declaratur I^o S e n t e n t i a r u m distinctione 25^a de Filio cap.^o 'Hic quaeritur'; de Spiritu Sancto cap.^o 'Ita etiam'.

QUAESTIO 5

UTRUM NOTIONES SIVE PROPRIETATES IN DEO SINT RELATIONES

Circa quantum arguitur primo quod nulla proprietas in Deo sit relatio sic. Proprietas in divinis est ipsa essentia sive substantia, paternitas enim est deitas. Sed quod in divinis est substantia non est relatio, quia ex opposito distinguuntur sicut duo praedicamenta in divinis, ut patet ex supra determinatis. Ergo etc.

Secundo sic. Verissimo enti non convenit debilissimus modus essendi, quia modus debet respondere rei. Quidquid in Deo est, est ens nobilissimum, et modus relationis est modus entis debilissimus, dicente COMMENTATORE super XI^{um} M e t a p h y s i c a e, «*relatio debilioris esse est inter omnia praedicamenta*». Ergo etc.

Tertio arguitur quod non omnis proprietas in Deo est relatio sic. Secundum DAMASCENUM, libro I^o cap.^o 11^o: «*Secundum omnia sunt unum Pater et Filius et Spiritus Sanctus praeter generationem, ingenerationem et processionem*». Sed aliae sunt proprietates praeter istas; ergo unum sunt in eis. Sed in relationibus non sunt unum, immo in sola substantia. Ergo omnes aliae proprietates in Deo substantiae sunt et non relationes.

Quarto ostenditur quod aliqua proprietas in Deo, ut saltem ingentum, non sit relatio sic. Non est relatio nisi sint duo extrema, unum de quo dicitur et aliud ad quod respicit. Sed ingentum non habet nisi unum extremum, scilicet de quo dicitur, et non habet aliud ad quod dicitur. Ergo etc.

Si vero dicatur, secundum AUGUSTINUM, V^o D e T r i n i t a t e, quod dicitur «ad non-genitorem», hoc non potest stare, quia ille

non-genitor non potest esse aliqua persona divina ut Filius vel Spiritus Sanctus, quia ad ipsas Pater refertur aliis relationibus. Eadem autem persona ad eandem non refertur pluribus relationibus, ut infra declarabitur. Et praeterea tunc non-genitor esset proprietas Filii aut Spiritus Sancti, sicut ingentum Patris, quod non est verum, ut infra patebit. Nec potest esse creatura, quia ad illam non habet Deus aliquem essentialem respectum, nec respectu illius accipitur in Deo aliqua notio, quia nihil ponit nobilitatis in Deo, et notio debet esse proprietas ad dignitatem pertinens. Nec potest sine respectu alicuius alterius, quia nullum est aliud. Et respectu eius quod omnino nihil est, nihil magis accipienda est aliqua notio in Deo quam respectu creaturae. Quare etc.

In contrarium est quoniam quidquid est in Deo praeter substantiam relatio est. Plura enim praedicamenta, secundum superius habita, in Deo non sunt. Omnes proprietates in Deo sunt <ad> aliquid praeter substantiam, dicente AUGUSTINO, libro IX^o De civitate Dei: *«Ideo simplex persona dicitur, quia est hoc quod habet, excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur»*. Ergo etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc secundum iam determinata quod proprietates in divinis nihil aliud sunt quam quaedam qualitates substantiae, et sic quamquam re sunt ipsa substantia sive essentia – paternitas enim est deitas, et sic cetera huiusmodi – tamen in quantum proprietates sunt, alia est ratio ipsarum, alia substantiae, quae non potest esse ratio aliqua absoluta, quia necessario poneret praeter substantiam aliquam rem absolutam in qua fundaretur et esset in Deo compositio. Oportet ergo quod sit ratio relativa, quae non requirit nisi rem absolutam ut eius fundamentum. Sed aliter importatur respectus sive relatio per proprietates substantiae quae sunt attributa, et per proprietates personarum quae verius proprietates dicuntur, quia illae, ut bonitas, veritas et huiusmodi significant ipsam essentiam sub ratione respectus, ut supra determinatum est. Non sic autem proprietates personarum, sed significant suo nomine solum respectus; ut paternitas non essentiam significat cum respectu ad alium; hoc enim significat persona quae est Pater, ut infra dicitur, sed significat purum respectum quo Pater est Pater, et sic de ceteris. Unde dicit MAGISTER, I^o Sententiarum distinctione 27^a cap.^o ‘Nec tamen’: *«Patris nomen non tantum relationem notat, sed etiam hypostasim, id est substantiam significat; ita et Filius et Spiritus Sanctus. Relatio-*

num vero vocabula, scilicet paternitas, filiatio, processio, gignere vel gigni, procedere, ipsas tantum relationes».

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «*proprietas est ipsa essentia ut paternitas est deitas*» etc., dicendum quod circa significatum dictionis, licet realitas sit eadem proprietatis sive respectus et sui fundamenti in quo fundatur, quae significatur et nomine fundamenti et nomine proprietatis tam in Deo quam in creaturis, ut in sequente quaestione declarabitur. Ut propterea in divinis proprietas praedicetur de essentia et e converso, ut infra declarabitur exponendo modos loquendi et praedicandi in divinis, semper tamen modus alius est huius et illius, qui licet ex opposito distinguuntur inter se, non tamen respectu sui fundamenti, immo in ipso conveniunt. Praedicamentum enim relationis in realitate a realitatibus praedicamentorum super quas fundatur non distinguitur, sed solum in modo et ratione praedicamenti, ut superius expositum est. Et sic ratione rei in divinis substantia est relatio, licet non ratione modi. Et ex hoc contingit quod, licet proprietates sint ipsa divina essentia, tamen proprietatibus distinguuntur divinae personae et non essentia, secundum quod determinat MAGISTER I^o S E N T E N T I A R U M, distinctione 33^a per totum. Et sic vere contingit proprietates poni in Deo esse relationes, non obstante quod sunt ipsa divina essentia.

Ad secundum quod «*modus debilissimus essendi est relationis qui non debet convenire enti nobilissimo*», dicendum quod in creaturis modus essendi relationis, etiam quae est relatio secundum esse, debilissimus est, quia est in eis per dependentiam quandam, non solum ad realitatem sui fundamenti et sui subiecti, sed etiam sui obiecti, quia in diversis subiectis fundantur semper in creaturis relativa secundum esse, ut paternitas in substantia Patris et filiatio in substantia Filii, et similitudo in duabus albedinibus, ita quod si realitas destruat in obiecto, et deficit relatio in utroque extremo. Unde QUIDAM putabant relationem esse de secundis intentionibus et rem rationis in animo solum existentem. Non sic autem est circa relationes reales in divinis, quia in divinis non est relatio in uno extremo per aliquam dependentiam, sed solum per ordinem quandam ad aliud extremum eo quod relatio in utroque extremo fundatur super eandem essentiam. Hoc modo quod naturaliter est sub huiusmodi respectibus, et sine illis esse non potest, plusquam sine suo modo essendi qui proprius est ei secundum quod est substantia sive essentia.

Propter quod in divinis non magis debilis est modus relationis quam substantiae, nec res relationis quam substantiae, quia est una et eadem.

Ad tertium dicendum quod DAMASCENUS loquitur de proprietatibus strictissime, et sub uno illorum comprehendit processionem activam et passivam, et sub ingeneratione comprehendit generationem activam, ut infra videbitur. In ceteris autem proprietatibus conveniunt quia substantiales sunt, ut similitudo, aequalitas et huiusmodi. Et ideo per hoc quod sunt unum in istis, non excluditur quin sunt unum in sola substantia, quia illarum unitas in personis est per unitatem substantiae, ut infra declarabitur.

Ad quartum «de ingenito quod *non est relatio*», dicendum quod hoc non est verum. Ad cuius intellectum sciendum est quod ingenitum ad aliud dicitur non ad se. Quod ostendit AUGUSTINUS, V^o De Trinitate, cap.^o 7^o, sic inquit: «*Negativa porro ista particula non, id efficit ut quod sine illa relative dicitur, eadem praeposita substantialiter dicatur, sed id tantum negatur quod sine illa agebatur, sicut in ceteris praedicamentis, velut cum dicimus "homo est" substantiam designamus. Qui ergo dicit 'non-homo', non aliud genus praedicamenti nuntiat, sed tantum illud negat etc. Non ergo receditur a praedicamento relativo cum dicitur ingenitus. Sicut enim genitum non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore sit, ita cum dicitur ingenitus non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore non sic ostenditur, quia sicut Filius ad Patrem et non-Filius ad non-Patrem refertur, ita genitus ad genitorem, et non-genitus ad non-genitorem referatur necesse est*». Sed quia ista relatio negativa est, ideo ALIQUI negabant ingenitum esse relationem, et de numero quinque notionum ponebant tantum quatuor illarum esse relationes. Et verum est quod non sunt nisi quatuor positivae, negativa tamen non minus est relatio, secundum dicta AUGUSTINI, quam aliae, et hoc realis, quia sicut ex natura rei absque intellectus consideratione habent fundari illae affirmativae, similiter et ista negativa, quod facit relationem realem, ut infra declarabitur.

Quod ergo arguitur quod «non-genitus non dicitur ad non-genitorem ut ad aliquam personam divinam aut ad creaturam», dicendum quod bene verum est, immo refertur ad aliud quod nec est nec esse potest in rerum natura, ut ad non-genitorem. Et quod arguitur quod «respectu talis non potest haberi notio», dicendum quod verum est ratione negationis purae, aut relationis negativae. Est tamen notio ratione affirmationis cointellectae, ut infra patebit.

Aliter autem respondet PRAEPOSITINUS sic dicens: «*Ad hoc quod obicitur quod si innascibilitas sit relatio, oportet quod alia sit correlatio, sic respondemus quod non omnis relatio habet correlationem. Nam quaedam relatio inest vel adest creaturae respectu Creatoris, nulla tamen inest vel adest respectu creaturae*». Quod verum est secundum rem; inest tamen ei sive adest secundum

rationem et considerationem intellectus. Et sic in proposito adest relatio alteri extremo secundum considerationem intellectus negative, et sic nec est nec potest esse aliquid in re. PRAEPOSITINUS autem dicit quod ingenitum dicitur relative ad Filium et Spiritum Sanctum sic inquit: «*Praeterea proprietate illa dicitur referri ad Filium et ad Spiritum Sanctum, quia per eam ostenditur removeri a Patre proprietas Filii et proprietas Spiritus Sancti*» quod non usquequaque absurdum est, ut infra videbitur.

QUAESTIO 6

UTRUM PROPRIETATES IN DEO SINT RELATIONES REALES

Circa sextum arguitur quod omnes proprietates in Deo sunt relationes reales sic. Reale dicitur quid a re. Nihil autem rei absolute est aut potest esse in divinis nisi ipsa essentia a qua ortum habet omne respectivum quod ex se non est res, secundum BOETHIUM dicentem, De Trinitate cap.^o 12^o, quod tria praedicamenta, scilicet substantia, quantitas et qualitas «*rem monstrant, alia vero praedicamenta circumstantias rei*». Nihil ergo in divinis habet esse reale quid nisi ab ipsa divina essentia. Sed proprietates quaecumque aequaliter realitatem habent ab ipsa essentia divina, quia ab ipsa non habent realitatem nisi quia in ipsa fundantur; et omnes aequaliter in ea fundantur quia immediate. Ergo etc.

Praeterea. Si relatio est realis a substantia in qua fundatur, cum non sit realis dicta nisi quia etiam res sit aliqua, — aliter enim non constitueret personam quae res est — res autem esse non potest propter rem substantiae nisi quia ipsa esset substantia, qua ratione ergo relatio potest dici res, eadem ratione potest dici substantia. Consequens est falsum. Ergo etc.

Quod autem aliquae sint reales arguitur. BOETHIUS dicit, libro De Trinitate, quod sola «*relatio multiplicat trinitatem*»; quod autem aliquid multiplicat realiter non potest esse nisi reale. Multiplicatio autem Trinitatis personarum in Deo realis est, non secundum rationem tantum, dicente AUGUSTINO quod «*Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt tres rei*». Ergo etc.

Quod autem nec istae sint reales, ergo multo fortius nec aliqua aliarum, arguitur sic. IOANNES DAMASCENUS dicit libro I^o cap.^o 11^o: «*Aliud est re considerare, aliud ratione et cognitione. In omnibus quidem creaturis hypostaseon divisio consideratur re, communitas autem earum ratione et cognitione consideratur. In substantia vero supersubstantiali econverso est. Illic enim commune*

et unum re consideratur, cognitione vero est secundum divisum». Sed istud divisum non est nisi secundum proprietates personales, dicente eodem: «Unum enim Deum cognoscimus in solis vero proprietatibus et paternitatis et filiationis et processionis secundum existentiae modum differentiam intelligimus». Ergo secundum proprietates huiusmodi non differunt personae nisi cognitione seu ratione. Hoc autem non esset, si essent relationes reales. Ergo etc.

Item. BOETHIUS De Trinitate dicit quod «*relatio Patris ad Filium in Trinitate et utriusque ad Spiritum Sanctum similis est relationi eiusdem ad se ipsum*». Illa autem est rationis tantum. Ergo etc.

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc, secundum supra determinata, quod proprietates attributales relationes sive respectus reales non sunt, cuius tamen ratio iam videbitur. De aliis autem sciendum quod cum relatio omnis consistit in quodam ordine et collatione quadam relatorum inter se, iste ordo variari habet secundum varietatem ordinatorum. Et hoc tripliciter: quia aut consistit in ordine ordinatorum ex natura rei, ut ex utraque parte ratio ordinis sit ex natura rei; vel in ordine ordinatorum ex ratione intellectus, ut ex utraque parte ratio ordinis sit ex ratione intellectuum; vel partim in ordine ordinatorum ex natura rei, partim in ordine ordinatorum ex ratione intellectus, ut videlicet ex una parte sit ratio ordinis ex natura rei et ex alia ex ratione intellectus. Si in ordine ordinatorum ex natura rei, sic est relatio realis. Si in ordine ordinatorum ex ratione intellectus, sic est relatio rationis. Si partim uno modo et partim alio, sicut est partim ex uno latere relatio rationis, partim vero et ex alio latere relatio rei.

Exemplum de hoc tertio modo est, si homo dextera sua comparatur ad columnam, ista relatio quam homo habet ad columnam ut dexter ei, et columna ad hominem ut ei sinistra quia ista est ad dexteram eius, ista inquam relatio hominis ad columnam realis est, quia dexterum super quod fundatur in homine secundum rem est in homine; relatio vero columnae ad hominem solum rationis est, quia sinistrum super quod fundatur in columna, non est in columna nisi secundum conceptum intellectus, scilicet ex respectu ad dexterum hominis.

Exemplum de secundo est quando intellectus accipit unum ut duo, et per hoc intelligit illud sub quodam ordine et respectu ad se ipsum, sicut cum dicitur aliquid esse idem sibi ipsi; ibi enim est ex utraque parte relatio secundum rationem, quia duplicatio ista eiusdem non est nisi in conceptu intellectus. Vel cum dicitur “in divinis Pater est

aequalis Filio”, ex utraque parte est relatio secundum rationem, et hoc quia aequalitas aliquorum non est relatio nisi secundum magnitudines eorum commensuratas inter se, sive secundum quod habent magnitudines inter se commensuratas, et ideo non est realis relatio aequalitas duorum aut plurium nisi secundum duas aut plures magnitudines commensuratas secundum quas inter se commensurantur realiter ab invicem diversas super quas fundantur respectus reales diversi. Magnitudo autem spiritualis Patris et Filii est ipsa divina essentia, quae una est in utroque secundum rem et nullo modo plurificata. Cum ergo secundum ipsam dicitur esse personarum aequalitas, oportet quod bis accipiatur secundum intellectum: semel ut habet esse in una persona, et semel ut in alia; vel ter si trium personarum aequalitas secundum ipsam est accipienda, ut secundum hoc diversi respectus possint fundari in ea. Et ideo personarum aequalitas in divinis ex utraque parte est relatio secundum rationem.

Et non est differentia in istis duobus exemplis nisi quod in illo duplicantur per intellectum ambo, scilicet et illud super quod fundatur ordo et relatio ut est substantia rei et ipse cuius est. Non enim est identitas nisi bis sumendo idem per intellectum, et similiter substantiam eandem. In isto vero exemplo duplicatur per intellectum alterum solum, scilicet illud super quod fundatur ordo relationis. Personae enim divinae ex se non ex opere intellectus sunt plures; sed essentia deitatis quae unica est in eis, in quantum in ea fundatur aequalitas, accipitur penes intellectum ut plurificata in quantum est huius et in quantum est illius; et quoad hoc magis realitatis est in relatione aequalitatis huius quam identitatis.

Exemplum de primo est in omnibus ordinatis secundum relationem consequentem quantitatem, qualitatem aut actionem et passionem, dum tamen ex utraque parte correspondens ratio ordinis et respectus inveniatur. Sic enim referuntur ad invicem aequalia vel similia in creaturis, quia in utroque est quantitas vel qualitas secundum rem, quibus ordinem et respectum habent inter se, et similiter naturaliter activa et passiva, quia in utroque est id realiter super quo fundatur actio et passio, et est semper illud reale in creaturis aliud et aliud re absoluta, ut alia et alia quantitas, vel alia et alia qualitas, vel alius et alius motus, aut aliquid aliud secundum quod ipsa extrema relata necessario sunt alia et alia re absoluta. Si enim illud reale non fuerit in uno extremo unum re et in alio aliud re, non est in creaturis relatio realis ex utraque parte. Immo si fuerit unum re in utroque differens sola ratione ex utraque parte, est relatio et ordo secundum rationem tantum, ut dictum est de relatione identitatis. Similiter, si fuerit aliquid reale in uno cui non respondet aliud

reale in altero, ex una parte est relatio et ordo realis, ex altera vero rationis tantum, ut dictum est de homine et columna.

Hoc est ergo quod summe disturbat nos in divinis, ubi necesse habemus ponere secundum fidem et dicta sanctorum, quod inter divinas personas est relatio realis, ne sola ratione ponamus personas distingui. Quia enim nihil in divinis est absolutum reale nisi essentia deitatis, et ideo super ipsam oportet singulos respectus in singulis personis fundari, obscurum est valde quomodo est magis relatio realis inter divinas personas secundum rationes activas et passivas quae sunt generare et generari, quam secundum rationes quantitatis et qualitatis quae sunt aequale et simile, cum tamen omnes isti respectus fundentur in identitate divinae essentiae. Quod licet ratio ad plenum non possit comprehendere, tentandum tamen est aliquantulum attingere.

Ad cuius intellectum sciendum est quod secundum praedicta «*relatio est debilioris esse inter omnia praedicamenta*», et hoc ideo maxime quia praedicamentum substantiae significat per modum entis, ratio enim substantiae est secundum se existere. Praedicamenta autem accidentis absoluta, ut quantitas et qualitas, significant per modum inhaerentis; ratio enim accidentis est inesse. Relatio vero significat per modum ad aliud se habentis, ratio enim relationis est ad aliud esse, quasi nihil sit eius quod per ipsam refertur, dicente BOETHIO cap.^o 12^o De Trinitate: «*Haec omnis praedicatio exterioribus datum*». Et dicit PHILOSOPHUS, V^o Metaphysicae, quod scientia in quantum est relatio non est scientis, sed scibilis.

«Unde aliqui *putaverunt* relationem *esse de secundis intentionibus*», quae non sunt nisi res rationis non existentes extra intellectum, quales sunt intentio generis et speciei. Quod videtur sentire BOETHIUS, cum dixit in libro De Trinitate, loquens de differentia praedicationis substantiae, quantitatis, qualitatis et relationis. «*Patet ergo*», inquit in cap.^o 12^o, «*quae sit differentia praedicationum? Quod aliae quidem quasi rem monstrant, aliae vero quasi circumstantias rei; quodque illa ita praedicantur, ut esse aliquid rem ostendant, illa vero non esse, sed potius extrinsecus aliquid quodam modo assignant*». «*Non igitur*», ut dicit in cap.^o 12^o, «*potest praedicatione relativa quidquam rei, de qua dicitur, secundum se addere vel minuere vel mutare. Quae tota non in eo quod est esse consistit, sed in eo quod est in comparatione quodam modo se habere*». Et in fine capituli dicit: «*Quocirca si Pater et Filius ad aliquid dicuntur nihil aliud differunt nisi sola relatione. Relatio vero non praedicatur ad id de quo praedicatur quasi ipsa res sit, et secundum rem non facit alteritatem rei de qua dicitur*». Propter quod et GILBERTUS PORRETANUS in commento super hunc passum relationes non inesse et insistentes personis sed affixas, dicit sic inquiens: «*Theologicae personae quoniam essentialium oppositione a se*

invicem aliae esse non possunt, harum quae dictae sunt extrinsecus affixarum rerum oppositione a se invicem aliae et probantur et sunt».

Quod non usquaequaque falsum est. Relatio enim et res est et est modus, sed ex se non est nisi circumstantia sive quidam modus, nisi aliquis sic velit extendere rem ut rem appellet etiam modum rei, maxime qui sequitur rem ex natura rei et non ex natura intellectus, qui etiam res rationis appellatur cum habet esse a solo intellectu, licet non appellatur res simpliciter, quod etsi respectus qui sequitur ex natura rei, possit dici res vera aliquo modo, hoc non convenit ei ratione illa et comparatione qua est ad aliud, sive ex eo quod est respectus aut relatio. Aliter enim non esset una res sed plures, neque una realitas sed plures, respectus ille qui esset ad plures terminos. Et sic non esset una relatio secundum rem qua unus est aequalis duobus, neque una paternitas qua unus est pater duorum filiorum in creaturis, cum sint duo termini ad quos, quod falsum est.

Praeterea, si relatio ex se, eo quod est respectus et ad aliud, esset res, tunc comparata ad substantiam non esset nisi modus tantum, et sic uno modo esset res, alio modo tantum modus, quod est inconveniens, sicut est inconveniens quod aliquid uno modo sit accidens, alio modo substantia. Propter quod relatio quod ipsa est res vera sive realis, hoc accipit ab alio ut a suo fundamento, quia ab alio habere hoc non potest, quia ad aliud comparisonem non habet nisi ut ad fundamentum aut ut ad terminum.

Specialiter autem de relationibus notionum in divinis quod realitatem sumant a fundamento suo ut dicantur reales, patet inspiciendo iam dicta. Hoc enim necesse est propter hoc quod consistunt in ordine et collatione ordinatorum ex natura rei existentis in eis absque omni consideratione intellectus. Secundum enim supra determinata, deitas se ipsa formaliter habet esse, immo est ipsum esse, et secundum se a nullo habet esse principiative, propter quod tamquam forma pura est prima ratio principiandi omnia, et fundatur in ipsa respectus et ordo ad principiatum, et ordine quodam naturae primo ad primum principiatum. Qui quidem respectus ad primum principiatum cum ipsa forma deitatis constituit primam personam, quae ratione suae primitatis necessario innascibilis est, quae non habet esse ab alio sed ab ipso omnis alius et omne aliud, sed ordine quodam naturae primo primum principiatum. Per hoc enim quod deitas in hac prima persona est intelligere quoddam secundum actum, ipsa deitas fecunda est et ratio principiandi active modo naturae et intellectualis operationis, ut qua quis habet producere, et similiter passive, ut ex qua quis habet produci. Et per hoc quod est ratio ex qua fundatur in ipsa respectus qui est ab alio produci, et

constituit cum essentia secundam personam, et existens in utraque persona simul est fecunda ut sit ratio producendi active, qua duo producunt modo voluntatis, et similiter passive ut ex qua quis sic producitur, et per hoc fundatur in ea respectus qui est ab alio produci modo voluntatis, et constituit cum ea tertiam personam. Et sic relationes notionales in divinis ex hoc reales sunt quod fundantur in ipsa deitatis essentia ex sola natura eius absque omni consideratione et collatione intellectus, quemadmodum et in creaturis relationes reales dicuntur quae fundantur in re ex sola natura rei absque consideratione intellectus.

<DUBIUM ALIQUOD>

Sed dubium est utrum, cum hoc quod sunt reales, relationes possint dici res. Et est verum proculdubio quod in quantum includunt in se suum fundamentum, quod sicut reales dicuntur quia fundantur in re, sic et res sunt, quia rem sui fundamenti in se includunt. Sed secundum hoc non sunt nisi una res, licet sint tres relationes vel quatuor.

ALIIS videtur quod sicut respectus fundatus in re ex consideratione intellectus dicitur ad minus res rationis tam secundum ordinem quem habet ad fundamentum quam secundum ordinem quem habet ad obiectum, quia utrumque ordinem habet ex consideratione intellectus, sic respectus ille qui fundatur in re ex natura rei absolutae, debeat dici res secundum utrumque ordinem, quia ex natura rei convenit ei uterque, scilicet quod fundatur in re absoluta et quod respicit obiectum.

Sed si hoc ponatur circa reales relationes in divinis eadem ratione et in creaturis, ut videlicet paternitas in creaturis non solum dicatur res et realis ex fundamento quae est naturalis potentia generandi, sed etiam ex eo quod est ad obiectum, quod dicunt MULTI et quod illa realitas ex ordine ad obiectum est propria praedicamento relationis.

<QUAESTIO>

Sed tunc quaero, cum praedicamentum relationis transfertur secundum aliquid manens in divinis, aut ista res manet in divinis, translato praedicamento relationis, aut non, sed transit in substantiam. Et sive sic sive sic, aut ista res est idem omnino cum modo praedicamenti qui est ad aliud esse, aut non. Si non, tunc si translata relatione ad divina non manet huiusmodi respectus, quia secundum ALIQUOS est accidens in creaturis, sed transit in substantiam tunc quod manet de relatione in divinis non est nisi modus tantum, et non res plusquam in

creaturis. Si autem manet in divinis ut aliquid aliud ab illo modo, tunc res aliqua creaturae esset in divinis praeter rem deitatis et praeter modum essendi ad aliud, quod falsum est. Si autem res illa in creaturis sit ipse modus, et transfertur ad divina, oportet quod maneat, quia aliter nihil de praedicamento relationis maneret in divinis.

In divinis ergo realitas relationis ex ordine ad obiectum non est nisi ipse modus. Et sic secundum quod sunt diversi modi ad aliud essendi secundum quod sunt obiecta diversa, sic et diversae res. Sed tunc non est disputatio nisi de nomine, appellando extenso nomine rem quod ALII appellant modum rei. Attamen si sic respectus possint dici res, hoc non est nisi quia ex natura rei fundantur in vera re. Quia enim realiter et ex natura ipsius rei fundantur in re secundum dictum modum ut dicantur res ex ordine ad fundamentum, ideo etiam realiter respiciunt obiectum et dicuntur res in ordine ad obiectum, non autem ex ordine ad obiectum. Non enim respicere obiectum realiter dat eis quod sunt res etiam in comparatione ad obiectum; immo e converso, quia enim sunt res ex ordine ad fundamentum, etiam sunt res in ordine ad obiectum, et etiam realiter respiciunt obiectum.

Bene tamen verum est si respectus dicatur res quod «sicut *diversi sunt* respectus ex comparatione ad *diversa obiecta*, sic et *diversae sunt res*»; sed hoc numquam provenit ut ex causa propter quam sit, sed solum sine qua non. Aliquando enim sunt diversi respectus ad idem obiectum, ut duorum filiorum ad eundem patrem, ut praedictum est. Unde quod duorum filiorum sunt duae filiationes ad eundem patrem, causa sive ratio quod sunt diversi respectus aut diversae res non est obiectum unum, sed potius fundamenta quae sunt diversae potentiae generandi passivae in diversis materiis, ex quibus generantur duo filii, super quorum diversas potentias passivas fundantur diversae filiationes, cum tamen paternitas unica secundum rem respondet eis in obiecto, quia fundatur super unicam potentiam generandi activam quae est in forma substantiali generantis.

Sic et in divinis quod respectus sunt diversi ad diversa obiecta non sunt causa aut ratio obiecta, licet non sunt sine illorum diversitate quia, secundum PHILOSOPHUM, «*relativa sunt simul naturae*»; neutrum tamen est causa alterius ut sit, sed causa et ratio per se est ipsa divina essentia in quantum est fundamentum omnium divinarum proprietatum, secundum praetactum modum. Licet enim sit unica re absoluta, propter tamen eiusdem infinitatem et illimitatem ipsa est per se ratio ut quasi fluant ab ipsa diversi respectus modo actionis et passionis sibi respondentes, et ulterius diversa producta, ut modo actionis generare et spirare ad producendum active Filium et Spiritum Sanctum, et modo passionis generari

et spirari ad producendum quasi passive Filium et Spiritum Sanctum, ut ipsa essentia simplex et unica sit per se perfecta ratio eius quod respectus diversi sunt, non solum quod sunt respectus simpliciter generare, spirare, generari, spirari. Et per hoc quod sunt diversi sive distincti ipsi producti non econverso, diversitas productorum est ratio diversitatis eius quod est generare, generari, spirare, spirari.

Ex quo patet quoddam suppositum superius, quod scilicet quidditas et realitas secundum quam una relatio alia est ab altera, non sumitur ex ordine ad suum oppositum, sed potius ex suo fundamento. Unde quod proprietates emanationum inter se distinguuntur, hoc non est quia una est ad aliam aut una ab alia, neque quia sunt ad diversos productos vel a diversis producentibus, sed quia diversimode fluunt, vel potius sunt quasi diversi fluxus ab eadem substantia. Unde et personae inter se sunt diversae, non tam quod una procedit ab altera, quam quia diversimode procedunt ab eadem, ut dictum est supra. Unde cum una persona ab alia emanat, non tamen sunt diversae quia una ab altera est sed quia constituuntur diversis proprietatibus emanationum. Pater enim est alius a Filio, non tam quia ab ipso est Filius, quam quia constituitur proprietate qua active ab ipso est Filius, et Filius proprietate qua quasi passive est a Patre, ut constitutio in esse per talem proprietatem in Patre sit praevia secundum rationem emanationis ipsius producti.

Sed quod respectus appellantur res, istum modum loquendi non videtur admittere usus Ecclesiae. Cum enim quatuor sunt relationes reales in divinis, tunc esset praeter rem essentiae quaternitas rerum in divinis, quod non videtur admittere usus loquendi, licet intellectus veritati non repugnaret. Propter quod si omnino dicendum sit quod relationes sint diversae et plures res iam dicto modo, videtur mihi quod melius sit dicere cum determinatione quod sunt plures et diversae res relationis, quam quod sint plures et diversae res, re simpliciter accepta. Quia si absque determinatione diceretur res, cum non sit res in se existens, quia non substantia neque in se subsistens, quia non est persona, neque alteri inhaerens in divinis, quia in divinis non est accidens; neque similiter in creaturis, quia tunc non transferretur manens in divinis. Esset ergo necessario, secundum opinionem PORRETANI, «res *extrinsecus affixus*», quemadmodum et ille modus videtur esse quiddam affixum substantiae in quantum res est, secundum dictam opinionem quae non ponit quod istam realitatem habeat a subiecto, sed potius ab obiecto, licet aliam realitatem habeat a fundamento, ut scilicet quod plures respectus habeant a fundamento quod sint res et una res, sed a diversis obiectis quod sint diversae res. Sed, ut iam dictum est, utrumque modum realitatis habent a fundamento, unum ut sunt unum in illo,

aliud ut diversimode quasi fluere ab illo, multo fortius quam quod ab eo fluunt diversae creaturae. Emanationes enim interiores sunt rationes emanationum exteriorum.

Praeterea, si quis velit dicere quod in creaturis alia res sit fundamentum relationis, alia vero ipsa relatio, et quod sit accidens inhaerens subiecto sicut alia praedicamenta accidentis, et quod cum hoc sit ibi modus proprius huius praedicamenti qui est modus purus et non res, et consimiliter in divinis, obviabitur ei sic: cum in divinis duo sunt praedicamenta translata a creaturis, substantia scilicet et relatio, ita quod cum assumuntur in divina praedicatione, quidquid in ipsis rei est ut sunt circa creaturas non manet, sed totum transit in divinam substantiam, et manent solum duo modi et rationes illorum praedicamentorum, qui etiam sunt iidem in creaturis. Si ergo in divinis essent diversae res, substantiae scilicet et relationis, ambae essent ibi ex natura deitatis, et uni responderet unus modus translatus a creaturis, et alteri alius. Quare cum modus proprius solum fundatur immediate in re propria et non in alia nisi per rem propriam, quia scilicet habet esse una earum in alia, sicut ergo in divinis modus substantiae, qui est secundum se esse, per se et immediate habet esse circa rem substantiae et fundari in ipsa, sic et modus relationis qui est ad aliquid esse, per se et immediate habet esse circa rem relationis, et fundari in ipsa. Ita quod in divinis modus relationis, qui est respectus quidam et ad aliquid esse, non habeat esse circa rem substantiae neque fundari in ipsa nisi per rem relationis existentem in substantia aut circa eam, sicut si in creaturis respectus qui est esse ad formam non dicatur esse in essentia materiae nisi per rem aliam relationis existentem in ea.

Ex quo necessario sequitur quod res illa relationis alia a re substantiae esset aliquid absolutum, quia respectus ille qui non est nisi modus ad aliquid esse, non fundatur nisi in re absoluta, quia quidquid est praeter absolutum esse, non est nisi modus eius qui est vel secundum se esse vel ad aliquid esse. Modus autem non habet fundari in modo, quia qua ratione unus eorum fundatur in alio, eadem ratione et ille alius in tertio, et esset abire in infinitum. Standum est ergo in aliquo quod est res absoluta, in qua immediate fundatur omnis modus. Et sic in divinis non est simpliciter dicendum quod sit res praeter rem substantiae, ita quod cum determinatione dicatur in Deo praeter rem substantiae esse res relationis, hoc est secundum iam dictum modum appellando rem ipsum modum rei simpliciter dictae, cui non curamus obviare, quia non esset disputatio nisi de nomine quae non prodest ubi certum est de re.

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum quod «relatio non potest esse realis a substantia subiecta quia tunc omnes relationes divinae essent res et respectus reales, quia omnes fundantur in substantia divina», dicendum quod fundari in substantia potest proprietas dupliciter. Uno modo ut perfecte habet esse in substantia fundata ex natura substantiae absque omni consideratione intellectus et comparatione eius ad quodcumque reale alterius rationis; vel non absque consideratione intellectus et comparatione ad reale alterius rationis. Omnis proprietas primo fundata supra divinam substantiam realis est; et tales sunt solummodo proprietates personarum. Secundo autem modo nequaquam; simile enim et aequale non sunt relationes reales in Deo, quia non fundantur in Deo super divinam essentiam absque consideratione intellectus, ut supra dictum est. Similiter neque respectus attributorum, quia non fundantur super divinam essentiam absque omni consideratione intellectus et comparatione ad reale. Secundum enim quod supra determinatum est, non habent esse in Deo nisi ex consideratione intellectus divini secundum se, aut etiam comparatione ad realem distinctionem personarum divinarum, vel aut consideratione intellectus divini sub comparatione ad distincta in creaturis, ut ALII dicunt. ALIQUI etiam ponunt quod non habent esse in Deo nisi ex consideratione intellectus nostri et comparatione ad correspondentia eis in creaturis.

Ad secundum quod «*relatio si est realis est res aliqua, ergo est substantia*», dicendum est ad hoc quod verum est in quantum realis est, alias nequaquam. Quia hoc nomen 'relatio' uno modo significat respectum ut est intentio pura et ratio praedicamenti, et sic relatio non est res neque substantia neque accidens nec est realis, sed modus ad aliud se habendi purus; nisi secundum modum praetactum appellando rem modum rei, vel appellando modum realem quia sequitur rem. Alio modo significat respectum ut est res praedicamenti absoluti super quam fundatur, sicut et significant omnia nomina specierum relationis, ut paternitas, filiatio et huiusmodi. Et sic in divinis significat rem quae est substantia, et est substantia sed sub ratione respectus significata. Est enim quoad hoc differentia inter significationem respectus in nominibus attributorum quae sunt sapientia, bonitas, et in nominibus proprietatum quae sunt paternitas, filiatio, et in nominibus personarum quae sunt Pater, Filius. Quoniam attributorum nomina significant substantiam sub ratione respectus rationalis, et non imponuntur ad significandum respectum, sed ipsam substantiam sub ratione respectus. Nomina vero proprietatum imponuntur ad significandum respectum fundatum in sub-

stantia, et non substantiam sub ratione substantiae sed solummodo includunt eam in sua significatione. Nomina vero personarum imponuntur ad significandum substantiam sub ratione respectus, ita quod etiam significat ipsum realem respectum et ab illo imponitur principaliter.

Ad aliud «divisum in divinis consideratur *ratione* et *cognitione*», dicendum quod in divinis divisum duplicem habet comparisonem: unam ad id quod commune est, aliam ad aliud condivisum. Primo quidem modo consideratur ratione et cognitione, quia differunt sola ratione substantia et proprietas; non autem secundo modo. Sed ista responsio est contraria dicto DAMASCENI, quia comparat contrario modo commune et divisum in creaturis. Dicit enim expresse quod «*divisum consideratur res*», ita quod divisa sub communi inter se differunt re. Ergo secundum mentem eius, in divinis divisum consideratur ratione, id est quod distincta sub communi inter se sola ratione differunt.

Ideo aliter dicendum quod licet in Deo, ut dictum est, proprietas significat substantiam, non tamen est distinctiva personae ut est substantia sed solum ut est respectus, ut sic sit alius modus substantiae ut est substantia et alius ut est sub ratione respectus. Ita quod divinarum personarum differentia penes modos rationis est respectu differentiae duarum personarum in creaturis secundum substantias absolutas. Et ita quoad hoc, secundum intentionem DAMASCENI, «divisum consideratione sive ratione est». Et hoc modo ad modum respectus aspiciendo, dicit BOETHIUS, secundum quod iam habitum est, quod relatio non dicit rem sed modum solummodo.

Ad ultimum quod «*relatio personarum inter se similis sit relationi eiusdem ad se quae non est nisi secundum rationem*», dicendum quod verum est quoad hoc quod relatio ex utraque parte fundatur super idipsum re, differt tamen quoad hoc quod ibi duplicatio relationis super idem et extremorum relatorum distinctio est ex sola ratione et consideratione intellectus, non sic in proposito, ut visum est.